Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscr. B. 5.   1

BAPTISTAE CODRONCHII PHILOSOPHI, AC MEDICI IMOLENSIS, DE VITIIS VOCIS, LIBRI DVO.

In quibus non ſolum vocis definitio traditur, & explicatur; ſed illius differentiæ, inſtrumenta, & cauſæ aperiuntur. Vltimo de vocis conſeruatione, præſeruatione, ac vitiorum eius curatione tractatur.

Opus ad vtilitatem concionatorum præcipuè editum.

Cui accedit Conſilium de Raucedine, ac Methodus teſtificandi, in quibuſuis caſibus medicis oblatis, poſtquam formulæ quædam teſtationum proponantur.

Opuſculum non modo neotericis medicis, ſed & Iuriſperitis ac iudicibus vtiliſſimum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



FRANCOFVRTI,
Apud heredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium, & Ioannem Aubrium.
ANNO MDXCVII.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO GABRIELI

Palæoto, S.R.E. Cardinali ampliſſimo, Baptiſta Codronchius felicitatem.

ELVCVBRAVI ſuperioribus menſibus (Illuſtriſſime, ac Reuerẽdiſſime Antiſtes) horis quaſi ſucciſiuis, opuſculum hoc, de vocis vitio, curatione, ac præſeruatione, eo potiſſimum conſilio, vt ſacri verbi concionatoribus rem gratam facerem, atque aliquid vtilitatis afferrem; ſæpenumero etenim iis vox imminuitur, deprauatur, ac etiam omnino deficit, non ſine maxima chriſtiani gregis iactura, ac detrimento. ſed illud ſupprimendum eſſe ducebam, & blattis, ac tineis deuorandum relinquere, quippe qui mei ingenii tenuitatem conſiderans, illud non ſolum ſapientum aſpectu, ſed hac aura ætherea indignum exiſtimabam. Nonnullorum autem concionatorum hortatu, ac etiam aliorum doctorum impulſu, & edere decreui, & tuo Illuſtriſſimo nomini nuncu-

pare volui, non ſolum quia cum ſublimi iſta tua dignitate, qua mirificè præfulges, ſumma eſt coniuncta probitas, religio, ac ſanctitas, quarũ virtutum exemplo chriſtianam Rempublicam quotidie iuuas, tueris, ſuſtines, verum etiam quia ſumma es rerũ omnium notitia inſignitus; quod plurima, quæ edidiſti opera, omni quidem religione, ac ſapientia referta teſtantur: Adeo vt iam tamquam virtutum omnium exemplar, admirandus potius, quam imitandus eſſe videaris. Huc accedit eximia quædam cõmitas, beneficẽtia, ac humanitas, qua omnium tibi gratiam concilias, & ſtudioſos præcipuè amas, foues, & cõplecteris. Quamobrem maiori ne ſapientia, an humanitate ſis decoratus, non facilè eſt iudicare. Ipſe autem illud teſtari poſſum, quod licet me de facie nõ noſcas, attamen multis ſtudiis me ſemper ſis proſequutus, quæ è mea memoria nullum nec tempus, nec obliuio delere poterit. Munuſculum igitur hoc, læto, quo datur, animo accipe, & quemadmodum tuæ Amplitudini ſum addictiſſimus, ſic Deum ſemper exorabo, vt omnia tua tibi fortunet, & ad maiora qũoq; euehat. vale.

IN LIBROS DE VITIIS VOCIS, BAPTISTÆ CODRONCHII MED.

Præfatio.

EX omnibus rebus, quibus Deus Opt. Max. humanum genus donare, & decorare voluit, nihil præſtantius, nihil excellentius (anima excepta) adde etiam nil magis neceſſarium ſermone ei tributum fuiſſe, & periti viri teſtantur, & ipſe rerum vſus quotidie nos edocet: Hoc enim abdita noſtræ mentis ſenſa alteri communicamus, noſtras exponimus neceſsitates, ſcientias indoctis impertimus, de grauiſsimis naturæ, & Dei myſteriis diſſerimus, & anima ipſa, quæ al oqui inuiſibilis, & incorporea creata fuit, viſibilis quodammodo, & audibilis ſenſui redditur. Hoc tandem à beſtiis differimus, quæ licet vocem quandam emittant, ea tamen inarticulata eſt, ac imperfecta. Quare ſi ab homine ſermo auferretur, humanitas ipſa quodãmodo auferri videretur, frigerent ſcientiæ omnes, perirēt præclara omnium hominum inuenta, deliteſcerent omnes animæ virtutes ac potentiæ, ſi ſermo

mentis index cõticeſceret. ſed ex omnibus, quæ ex ſermone percipiuntur vtilitatibus, potior ea eſt, vtilior, ac præſtantior, quæ ex diuini verbi prædicatione proficiſcitur, ex ipſa enim addiſcimus Deum cognoſcere, mãdata eius, & Eccleſiæ vniuerſalis ſeruare myſteria, & ſacramenta legis, beatorum felicitatem, pœnas, & ſupplicia improborum, & omnia denique ad vltimum finem conſequendum, qui Deus eſt, neceſſaria nobis ſuadet, hortatur, impellit; viuus enim (inquit Apoſtolus) eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad animæ, & ſpiritus diuiſionem: & quamuis multi ex lectione librorum ea addiſcere poſſint, pauci tamen ex ipſa operari ſciunt, & multo plures ex verbi Dei prædicatione excitantur ac inflammantur, habet enim, ait D. Hieronymus, neſcio quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortius ſonat, & D. Bernardus: ſolet, inquit, acceptior eſſe ſermo viuus, quàm ſcriptus, & efficacior lingua, quàm litera, nec tam affectum exprimit ſcribẽs digitus, quàm vultus. Hæc eſt lux improborum hominum, qui ambulant in tenebris, quia Domino peccauerũt, vt ait Sophonias propheta, hi enim

Hebr. c. 4

ad Paulinum c. 1.

epiſt. 66.

cap. 1.

obte-

obtenebrati, vbi errores proprios, ac ſcelera, & pericula magis cernunt, niſi in ſacris concionibus? & niſi eſſet verbum Dei enunciatum, nulla eſſet virtus, nullus, qui faceret bonum; omnes erroribus, ac peccatis coinquinati eſſent, nullum veræ fidei fundamentum, cum fides ſit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, vt Apoſtolus ſcribit, cuius prædicatio quanti ſit ponderis, quantique ſit magnifaciẽda, inſinuat nobis idem Apoſtolus adiurans Timotheum per Deum Patrem, per Chriſtum eius Filium, per aduẽtum, ac regnũ ipſius, quibus nec maior, nec excellentior alia res excogitari poteſt, vt prædicet Dei verbum, & de ſeipſo ſcribens, væ mihi ſi non euangelizauero. Hac verbi Dei prædicatione, nõ potentiæ timore, nõ armorum ſtrepitu, non diuitiarum munere, non carnis voluptate, fidei imperio totum mundum Deus ſubiecit: vnde ait D. Bernardus, tanta lux fidei in toto orbe, & tam ſubita, niſi de prædicato Ieſu verbo, cuius tanta eſt vtilitas, ac neceſſitas, vt nunquam eccleſia ita in improbos animaduertat, quod facultatem illis adimat audiendi verbum Dei: quamuis excõmunicati, ſchiſmatici, & interdicti ſint. Quis peccatorem, ac vitioſum hominem in ſpem ſubleuat, vt veniam

Epiſt. 2. cap. 4.

1. Corinth. c. 9

conſequatur? verbum Dei. quis pœnitentem adfortitudinem reuocat, & corroborat? quis iuſtum de arduæ virtutis præmio ſecurum facit? verbum Dei. Quid inter tot aduerſa, tantaſq; exagitationes tutius animā defendit, conatuſq; omnes dæmoniacos infringit, ac irritos reddit? verbum Dei. Infelices homines ita ſunt his terrenis, fragilibuſq; bonis addicti, ita propriis affectionibus obcæcati, vt in Dei, ac proximi dilectione admodū frigeant, & niſi verbum Dei tenebras diſcuteret, cordaque calefaceret, eoſq; excitaret perpetuò in ſuis prauis affectibus, ac miſerabili cæcitate iacerent. Sicut cibus materialis vitæ corporali neceſſarius eſt, ita anima quæ eſt nobilioris cōditionis, cibo nobiliſſimo, ac ſpirituali, qui eſt verbum Dei, indiget, ideò Chriſtus Saluator noſter dixit, non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei, ex eo etenim ipſa quotidiana ſpiritualium cognitio creſcit, & in bona ipſe homo conſeruatur voluntate, vt ab inſtituto nō recedat. Quamplurimi reperiuntur mortales, qui peccato animam ſauciatam habent, & inter multa remedia, quæ pro illius curatione adhiberi ſolēt, nullum efficacius, ac magis præſentaneum, quàm verbum Dei, reperitur, & hoc

eſt, quod

eſt, quod Propheta glorioſus pſalmorum libro decantare ſolebat, miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Sed quid amplius in probanda verbi Dei neceſſitate, vtilitate, ac efficacitate laboramus? cum multarum hæreſium in vnaquaque tempeſtate extinctio, peccatorum plurimorum conuerſio, martyrum voluntaria mors. & ipſius Eccleſiæ Dei conſeruatio, diuini verbi vtilitatem, ac præſtantiam ſatis ſuperque teſtatam faciant. Et quamuis non deſint viri religioſi, qui vt diuinæ maieſtatis gloria magis augeatur, & pereuntes animas ex teterrimi draconis faucibus eripiãt, ac ad ſempiternæ fælicitatis paſcua traducant, ſacrarum concionum munus ſuſcipiunt, ac illud pro dignitate exequi adnituntur, cum ſæpè vſu eueniat, vt vox illos deficiat; vel ſaltem imminuatur, quæ orationis eſt materia: hinc fit, vt etiam cõciones magno cum animarũ detrimento minimè habere poſſint, & cum inter præcipua egregii oratoris euangelici officia ſit ipſa pronunciatio, ad quam pertinet, vt vocem, geſtũ, ac vultum rebus ipſis, quas dicit, appoſitiſſimè accõmodet, cum vox potiſſimum propriam vim, vt ait Fabius, adiiciat rebus, ſi li.xi.inſt. Orat. c.3 *vox præconis verbi Dei erit rauca, vel aſpera, vel gracilis, vel obſcura, vel rigida, & perpe-*

ram rebus, quæ dicũtur, accommodata, quamuis ipſe eruditione, rerum ſcientia, & ingenii acumine ſit præſtans, tantum abeſt, vt eius oratio auditores iuuet, vt potius tædio, ac faſtidio afficiat, & potiſſimum imperitam multitudinem, quæ rem non pro illius dignitate, vt ait P. Granatenſis, ſed pro explicandi, atque pronunciandi ratione concipit: videmus enim multos, & rerum optimarum ſcientia, & dicendi ratione inſignes, qui quoniam hac pronunciandi facultate carent, nullos affectus vtiles animis auditorum excitent, imo etiam cõtemptui habeantur, cum geſtus, oculos, teſte Fabio, vox verò aures moueat, per quos duos ſenſus omnis ad animam penetrat affectus; Cum autem medicorum officium ſit, huic ſpirituali, ac corporali iacturæ proſpicere, & hæc, aliaque mala, quæ in republica chriſtiana maiora imferunt damna, diligenter exacteq; cognoſcere, ac prudenter, & cum ratione curare, & nihilominus hucuſq; de vocis natura, differentiis, vitiorum ipſius cognitione, ac curatione parum rectè, ac breuiter admodũ fuerit ſcriptum, ſæpè, ac multum mecum cogitaui, ſi hac in parte ab aliis quodammodo neglecta, non nihil pro ingenioli mei facultate ipſis concionatoribus poſſem prodeſſe.

tandem

tandem Dei Opt. Max. auxilio fretus decreui rem hanc, quamuis difficilem, aggredi, & cum multa non paucis laboribus ad vocem ſpectantia collegiſſem, & quamplura problemata ſcitu digna enúcleaſſem, ea omnia in eum ordinem, de quo in primo capite agam, digeſſi, & nõnulla medicamenta, vocis raucedini conferentia, experimentis quam plurimis comprobata addidi, quæ vt optatum finem conſequi poſſent, typis mandaui. ſpero enim ex his meis lucubrationibus eccleſiaſticos concionatores, non ſolum pro curandis vocis affectibus, verùm etiam pro voce ſana conſeruanda, & in malum habitum vergente, præſeruanda, non modicam vtilitatem fore percepturos, quòd tamen peritorum iudicio, ac experientiæ probandum relinquo.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI DE VITIIS VOCIS.

Vox de quibus propriè, ac impropriè dicatur, cuius variis adductis definitionibus, propria ex Ariſtotele ſigillatim, eius cauſſa efficiens, & quomodo fiat, explicatur, ſimulq; inſtrumenta vocem efficientia numerantur cap. 1

De conſtructione, ac nominibus aſpera arteria 2

De laryngis apellationibus, & conſtructione 3

De lingua laryngis, ac eius operculo 4

De gurgulione, ac palato 5

Quænam ſit cauſſa materialis vocis, & quibus animalibus vox inſit 6

De vocis cauſſa formali, ac finali, & quomodo fiat 7

De vocis differentiis, & vtrum vna tantum ſit vox, an plures 8

Quid ſit vox acuta, & grauis, & eius cauſſæ explicantur 9

De voce magna, ac parua, & cauſſis eius 10

De voce leni, & aſpera, & de cauſſis eius 11

De cauſſis vocum præternaturalium, & accidentalium, & primo de cauſſis longæ, & breuis 12

De voce dura, ac molli: de voce conſtanti, & inconſtanti: de voce gracili, & exili: de voce ſubtili, & craſſa 13

De voce tenebroſa, de tremula, de clara, & ſonora, de parua & obſcura 14

De voce abrupta, de tarda, de clangoſa, de luctuoſa 15
De voce rauca, vel arteriaca affectione, quæ à græcis branchos dicitur 16
De voce imminuta, ac deficiente, ſinguliſque eius cauſſis 17
De quibuſdam vocum præternaturalium præſagiis 18

Secundi Libri.

De vocis conſeruatione, ac præſeruatione cap. 1
De cura vocis raucæ, ac deprauatæ, extenſiua ſeu inflammata diſpoſitione 2
De cura raucæ, ac deprauatæ vocis ex catarrho 3
De gargareonis inflammatione vocem lædente 4
De laxata columella 5
De cura vocis læſæ ob vlcus, vel os amotum, & à cauſſis externis 6
Remedia ad vocem imminutam, ac deperditam 7

BAPTISTAE CODRONCHII MEDICI, DE VITIIS VOCIS, LIBER I.

Vox de quibus propriè, ac impropriè dicatur, cuius varijs adductis definitionibus, propria ex Ariſtotele ſigillatim, eius cauſſa efficiens, & quomodo fiat, explicatur, ſimulque inſtrumenta vocem efficientia numerantur.

CAPVT I.

QVi cum ratione mederi profitentur, cauſſas cùm actionum noſtri corporis, ſecundum naturam, tum affectionum præter naturã; vt illas ſeruare, has verò è corpore expellere poſſit, ſcire debent; nec modos, ſecundũ quos fiũt actiones, nec locos, in quibus, & inſtrumẽta, per quæ perficiũtur, ignorare oportet; actionis.n.modus cognitus, prõptiores ad ſuccurrendũ nos facit, & locus nobis indicat, ne illæſis partib⁹ tãquã affectis fruſtra moleſtiã inferamus, affectiſq; tanquã ſanis nõ opitulemur, inſtrumẽta quoq; propriã, ac ſuam cuiuſq; oſtendunt curationẽ; cum autẽ nos decreuerimus hoc cõmẽtario explicare, quo pacto, ac quibus remedijs vox ſana ſeruãda, ac roboranda ſit, vel parũ à ſanitate declinãs præſeruãda, & vitiata vox curanda, operę pretium eſt, vt primũ quid ſit vox, & à quibus cauſſis fiat: mox quomodo, ac quibus inſtrumentis, & de eorum ſtructura; deinde quot ſint vocis differentiæ, & quot eius læſiones; tandem quæ in hac parte à medico præſagiri poſſint, aperiamus. ſed priuſquã demõſtrare aggrediamur, quã ratiõe vox ex naturæ in-

ſtituto perficiatur; animaduerſione dignum eſt, voce impropriè, vt ſcribit Plutarchus, etiam brutis, & anima prorſus carentibus rebus tribui; propriè verò vocē articulatam eſſe, φωνὴν ab illuſtrādo mētis cōceptu græcis dictā, ideo nō cuiuſcūq; animalis, ſed hominis tantum. cum enim vox ſit voluntaria actio, & præcipua omniū animæ noſtrę actionum (nam mentis noſtræ cogitationes, vt dictū fuit, aperit, ac patefacit) & bruta diſcurſu ac cogitatione careant, propriè de eorum voce non debet accipi, cum in ipſis paſſionum tantum naturalium, ſicut & hominum nonnunquam ſit nota, & hæc diſtinguitur ab ea, quæ vi, ac coactè, vt eſt vox ſtertētium, tuſſientiū, ridentium, flentium, ac plorantiū, quæ vox in pueris vagitus dicitur; ideò Solinus dixit, naſcētium primā vocem eſſe vagitū; & ſolū Zoroaſtrem ea, qua natus fuit hora, riſiſſe. impropriè verò dicitur vox, cū & inarticulata ſit, & ſyllabis nō explicata, nec ex motu cogitationis, ac deliberationis prolata. Plato, vt auctor de hiſtoria philoſophica teſtatur, vocē hoc pacto explicauit, vox eſt imperio cogitationis emiſſus ore ſpiritus, & aër impulſus, qui per aures, & cerebri neruos in animū vſq; peruenit; quā vocis deffinitionē aliis verbis Plutarchus ſcribit: vox eſt ſpiritus per os à mente ductus, aërque ictus per aures, & cerebrum, & ſanguinem ad animam vſque traiectus. Grammatici, vt idem Plutarchus ſcriptum reliquit, vocem definiebant eſſe aërem percuſſum, cadētem ſub ſenſum auditus, vt interim alias definitiones, ſeu potius deſcriptiones ex epicuro, ſtoicis, ac Pythagorā relatas

Vox, de quibus propriè, vel impropriè dicatur.

Vocis definitio ex Platone.

lib. 4. de Plat. philoſ. c. 19.

in cōmēt. de muſica.

definitio Galeni. ſilentio inuoluamus. Galenus propriam, ac veram vocis definitionem attulit tantum in commentario illo, de voce peculiariter edito, quē ipſe ſæpè, ac ſæpius aliis in libris citat, & iniuriá temporum nobis ſubſtulit, ideò illa vocis definitio ab ipſo tradita in libro, de diſſectione vocalium inſtrumentorum, vox eſt aër percuſſus; communis quædā eſt vocis deſcriptio, in qua duntaxat cauſſam materialem attingit. Ariſtoteles duas attulit de voce definitiones, vnam perfectam, & alteram imperfectam, hanc tradidit in ſectione 27. problematum, cum dixit: vox eſt ſpiritus ſurſum verſus elatus, partibus quibuſdam veluti inſtrumentis conficiendus, abſoluenduſque. quæ definitio cauſſam duntaxat materialem explicitè, & efficientem implicitè complectitur: Vocis abſoluta definitio colligitur ex libro 2. de Anima, quā Ariſtoteles methodo diuiſiua indagauit, vox ſcilicet eſt ſonus animalis ex percuſſione reſpirati aëris ab anima ad arteriam, cum imaginatione aliqua, vt ei benè ſit; quæ vocis definitio omnes illius cauſſas, efficiētem nempe materialem, formalem, & finalem continet, & erit à nobis ſingulatim explicanda, ſi primum nouerimus, quod quamuis vox ſit ſonus, non omnem tamen ſonum eſſe vocem, ſicut inanimatorum, nam qui ex fluctibus, vel ventis fit ſtrepitus, neque qui ex alliſis fit lapidibus fragor, vox eſt, ſed animati aliquis ſonus vox eſt, at neque cuiuſuis animati ſonus vox eſt, qui enim per compläoſionem manuum, vel per ſcreatum, vel per tuſſim fiunt, ſoni

Cap. 2.

Ariſt. definit.

Probl. 9.

à text. 87 vſque ad 90.

non omnē ſonum eſſe vocem probatur.

ſunt,

ſunt, & non voces, ideò vox eſt ſonus animati, qui per vocalia fit inſtrumenta, quamuis ab iis quomodocunque factus ſonus vox haud ſit, veluti etiam ſupra diximus, tuſſis enim ab iis erumpit, nec vocem emittere dicitur qui tuſſit, quando autem cum imaginatiua ſignificatione hæc mouentur, tunc demum factus ab iis ſonus vox dicitur, prætereà cum vox ſit ſonus, ex aëris percuſſione, non omnis tamen aëris percuſſio vocem efficere poteſt; vt teſtatur Galenus cũ opus ſit ſymetriam quandam, ac conuenientiam eſſe ſubſtantiæ rei percutientis ſimul, & roboris, quo aliquantiſper aër reſiſtat, neq; primò ſtatim impetu, ac coitione victus deiiciatur. hanc autem ſymetriam in animalibus cartilaginem adeptam eſſe ſcribit idem Galenus, cũ molliora, quàm pro ipſius natura præ imbecillitate aërem ipſum remiſſus percutiat, duriora verò facilè ipſum euertant, adeò vt non maneat amplius, neque reſiſtat ad percuſſionem excipiendam, ſed ſubducat ſe, atque aufugiat, & fluere potius, quam percuti videatur; præterea nõ eſt ignorandum, quod cum vox ſit ſonus, & non quilibet ſonus, ſed animalis tantum ad conceptus proprios promendos, vel paſſiones exprimendas in animatis quidem ſonare tribui poſſe, vocare autem nequaquam, niſi duntaxat impropriè metaphoricè, & ſecundum ſimilitudinem; vt quæ voci animalis ſimile quid habeant, ſicut inſtrumentis muſicis tribuere ſolemus, dicentes hunc, vel illum bonam, vel malam habere vocem, habita ad vocem humanam

quemlibet animalis ſonum non eſſe vocẽ.

ex qua aeris percuſſione fiat vox.

lib. 7. de vſu par. c. 4.

inanimatis ſonare, & non vocare tribui.

comparatione; quemadmodũ enim in voce humana numerus, harmonia, dictio, ſeu locutio cõſiderantur, ita & inſtrumenta muſica hæc eadem imitantur, vt egregiè, ac multis explicarunt Philoponus, ac D. Thomas. Efficiens cauſſa vocis eſt animal, anima, & organum; diuerſa tamen ratione: animal, vt quod; anima, vt quo principali; organum, vt quo inſtrumentali: quod anima ſit cauſſa efficiens principalis vocis, probat Galenus his verbis: vox fit ab animali facultate, cum omnis voluntaria actio ab animali facultate proueniat, arbitratu verò noſtro vocem tum edimus, tum ſiſtimus, anima ſiquidem conceptus ſuos, & paſſiones explicare intendens mediante efflatione, & vocalibus inſtrumentis vocem gignit. Et alibi ſcribit; vocem fieri per inſtrumenta, quæ neruos à cerebro aſſumerent, cum ſit animalis actio principaliſſima. Quænam autem pars ſit pro cauſſa efficiente vocis inſtrumentali, ſtatuenda ex Galeno non leuis eſt difficultas, cum ipſe quamplures diuerſis in locis partes vocis inſtrumenta eſſe dixerit, laryngem enim vocis inſtrumentum eſſe aſſerit libro 8. 16. 7. & 13. de vſu partium, necnon libro de vocal. inſtr. diſſectione, quod probat primo ex ipſius laryngis compoſitione; nam ex neruis, qui mouent, ex muſculis, qui voluntati obediunt, & ex cartilaginibus, quæ percutere ſpiritum ſimulque reſonare poſſunt, conſtituta eſt ſecundo experientia ipſa in libro 2. de placitis Hippocratis, & Platonis, laryngem proprium eſſe vocis inſtrumentum,

lib. 2. de Anima. *efficiens cauſſa vocis.* *animam eſſe cauſſam princip.* *lib. de vocal. inſtr. diſſect. cap. 2.* *lib. 16. de vſu par. cap 3.* *Variæ ſtatui partes à Galeno pro voce efficiẽda.* *Larynx.* *cap. 1. c. 4. c. 5. & 6. & 13.* *cap. 4.*

mentum, eo arguméto patet, ſi infra aſperam arteriam incideris, vocale animal amplius non erit: Attamen non laryngem, ſed laryngis lingulam eſſe proprium vocis inſtrumentum, in libro primo de locis affectis, & in libro ſeptimo de vſu partium ſcripſit, in ſpatio laryngis interno corpus quoddam locatum eſt, quod neque ſubſtantia, neque figura cuiquam eorum, quæ in toto ſunt animali, eſt ſimile, & eſt vocis inſtrumentum; ſimile autem eſt linguæ alicuius fiſtulæ, quod cum moderatè à muſculis aperitur, & committitur, vocem efficit, cuius quidem particulæ ad vocem formandam neceſſitatem explicat his verbis: Quod abſque lingua inutilis ſit fiſtula, ipſa per ſe res indicat; vox enim fieri non poteſt ni tranſitus anguſtetur, nam ſi amplior omnino totus fuerit, relaxatis iam primis duabus cartilaginibus, & à ſeſe diſtantibus, aperta verò tertia, haudquaquam fieri vox poterit, quod ſi leniter ſpiritus efferatur, expiratio fit ſine ſono, ſin verò repentè ſimul, ac vehementer ſpiritus effundatur, vox tunc verè efficitur, vt autem vocem edat animal, indigeret omnino ea ſpiritus motione, quæ ab infernis repente ſimul erumpat, indiget autem nihilominus hæc tranſitu etiam anguſtiore, qui in larynge eſt, non tamen ſimpliciter anguſtiore, ſed qui paulatim ex amplo ad ſtrictius tendat, paulatimque rurſus ex anguſtiore amplificetur, idque protinus efficit lingula id eſt lingua laryngis. Præterea in libro primo epidem. & in lib. 7.

lingula laryngis.
cap. 6.
cap. 13.
quomodo fiat vox.

de comp.med.loc.aſperam arteriam , & fauces vocis eſſe inſtrumenta ſtatuit, & in lib.6. de vſu partium ac in 2. & 3. libro de plac. Hipp. ac Plat. pulmonem ipſum probans contra Chryſippum voces ex thorace, & pulmone, nō autem ex corde emitti : inſuper libro de vocal.inſtr.diſſect. ait, inſtrumenta vocis eſſe muſculos, ac neruos, eo quod ſit voluntaria actio ab animalis facultate proueniens, volūtariæ verò actiones per muſculos, ac neruos perficiantur, in lib. vero 7. de vſu partium cartilaginem aſperæ arteriæ, & in lib.4. de loc.affec.gutturis muſculos eſſe vocis inſtrumentum, aſſeuerat. Nihilominus inconſtantiæ minimè Galenus arguendus eſt, ſi variam de inſtrumētis rationem animaduertamus, aliâ enim ſunt longinqua, & communia, & alia propinqua, & propria, priora ſunt expirationis, & efficationis organa, veluti thorax, pulmo, ſeptum tranſuerſum, inter coſtales interiores muſculi, ideò ipſe Galenus lib.2. de vocal.inſtr. diſſect.aſſerit, quod thorax, & pulmo vocem non efficiūt, cum percutere, comprimereque ſpiritum nō poſſint, qua in vocis generatione eſt opus, ſed tanquam ſpiritus meatus exiſtentia vocem faciunt, poſteriora verò inſtrumēta ſunt aſpera arteria, larynx, muſculi laryngem aperientes, claudenteſque, eiuſdem interior ſubiungens membrana, lingula, & recurrentes nerui, quæ quidem partes ad vocem edendam neceſſariæ ſunt, reliqua verò vt palatum, & gargareon voci commodant, & aliquantiſper deſeruiunt, adauget enim eam palatum

aſpera arteria, ac fauces.
com.2. text.78.
cap.1.
cap.2. & 9.
cap.4. & 7.
cap.2.
pulmo, muſculi, ac nerui.
cartilago.
cap.4.
cap.6.
muſculi gutturis.
inſtrumētorum vocis varia conſideratio, ex quo cōtradictio in Galeno tollitur.
cap.2.

tum veluti iſchion quoddam, id eſt vocis refractorium præpoſitum, & Columella quaſi plectrum, vt eſt docta Galeni ſententia; ſi organa vocis alia ratione conſideremus, vt ſunt compoſita, vel ſimplicia, compoſita erunt aſpera arteria larynx, & lingula, ſimplicia verò muſculi, membranæ, ac nerui; ideò non eſt mirum, ſi Galenus tot partes dixerit eſſe vocis inſtruméta, cum modo de lõginquis, & communibus, modo de propinquis, ac propriis verba fecerit, & aliquando ſimplicia, nonnunquã verò eam cõpoſita vocis organa explicare voluerit; pluribus tamen in locis decreuit laryngem eſſe proprium, ac principaliſſimum vocis inſtrumentum, cui etiam ſubſcripſere Auicenna, ac Philocopus. *lib.7.de vſu par. cap.5.*

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

De conſtructione, ac nominibus aſperæ arteriæ.

CAP. II.

INter cæteras de vocis eſſentia ſpeculationes illa de inſtrumentis voci famulantibus fortaſſe eſt potior, ac ſcitu dignior, cui quidem cum cognitio ſtructuræ illorum non modicum lucis, ac vtilitatis afferat, de ea verba facere decreuimus; quòd tamen commodè præſtare non poſſumus, niſi etiam diuerſitatem, ac confuſionem nominum, quibus Galeni interpretes has, & alias viciniores nuncuparunt, explicauerimus. ſcire igitur operæ pretium eſt, quod duo inſignes meatus à lato oris ſpacio inferiori incipiunt, quorum *lib.7. lib. 8. lib.13. lib 16. de vſu par. lib.2. de plac. Hip. & Plat. lib.3.p.10. tr.2.ca.1. in li.2. de anima.*

Aſpera arteria ſitus, ortus, & cōpoſitio.

vnus poſterius ad ſpinam inſpicitur & æſophagus, ſeu gulæ appellatur via, per quam cibus, & potus dilabitur in ventriculū, alter anterius iuxta pronam colli partē apparet, & aſpera arteria dicitur, via aeris, ac ſpiritus ad pulmones, hæc enim à faucibus propendens, quibus arctiſſimè eſt adſtricta, longo ductu inſtar caudicis cuiuſdā deorſum fertur, in duas que regiones primū biuio diſtracta, mox in minores, deindè in minimas coangustata in pulmonis vniuerſam ſubſtantiam excurrit, huius ſubſtantia magna ex parte cartilaginea eſt, partimq; mēbranea in orbem circumq; acta, innumeros enim ferè orbes, circuloſve quaſi annulos gerit, hoc ordine inter ſe connexos, & adhærentes, vt ſuperiores ſint maiores, proximè verò deinceps ſequentes proportione minores, quò ad fiſtulas mucronatas in anguſtiſſimū deſinentes conſtituant, hæ fiſtulæ ex annulis cartilaginoſis cōtextæ, mediæ inter venam arterioſam, & arteriam venoſam in extremos vſq; pulmones decurrunt, cartilagines cōmittuntur, primū propriè cuiuſque cartilaginis membranæ interuentu, circulares enim aſperæ arteriæ cartilagines membrana quadā integuntur, quæ ex demiſſioribus, elatioribusq; ſui partib. proceſſus exporrigens, illorum interuentu cartilagines inuicem connectit, velut membraneum inter duas cartilagines ſeſe recipientes vinculum efformans; Neq; ſolū inter cartilagines, vbi æqualiter ab inuicem diſtant, eiuſmodi conſurgit vinculum, verum etiā ab extremis, tenuiſſimisq; cartilaginum

partibus

partibus membranei proceſſus educũtur, partes eas ita colligantes, & cartilagines vnà cum ligamento à proceſſibus illis conflato, continuũ veluti efforment circulum. His cartilaginib. membraniſque aliæ duæ accedunt membranę, tunicæ appellatę, atque vna quę tenuis eſt, externam arteriæ ſuperficiem, vndequaq; veluti indumentum quoddam complectitur, membraneis illis cartilaginũ vinculis pertinaciſſimè connata, altera internam totius arteriæ ſedem ſuccingit, & ad cartilaginum inter ſe colligationis robur plurimum auxiliatur exteriore tunica craſſior, & validior, multisque rationibus dignior; & interna ſuperficie leuis, pinguiq; quodammodo humore oblita, quamuis non vndequaq; eandem ſeruet craſſitiem, in laryngis enim cauitate craſſior euadit, vbi verò lingula laryngis conniuet, vtrinq; ad latera dura, calloſaque efficitur, in ramis verò per pulmonis ſubſtantiam diffuſis tenuior euadit, in caudice verò medio modò ſe habet, & hæc tunica per vniuerſam arteriæ cauitatem rectas quaſdam in longitudinem fibras habet. Quod igitur ex cartilagine, & membrana eſt compoſitũ, trachæa arteria vocis ſimul, ac reſpirationis eſt particula, nam per hanc inſpiramus; & rurſus exſpiramus, efflamus, atq; vocem edimus. quæ arteria ſimpliciter à veteribus, trachæa vere aſpera poſtmodũ ab inæquali, qua cõſtat ſubſtãtia, fuit nuncupata, quã & alii bronchon, ſeu bronchũ; quẽadmodũ; & cartilagines, quib. cõſtat brõchia appellãt, vt legere eſt apud Galé. pluri b. in locis, ac

Aſpera arteria nomina.

lib. 7. de anat. c. 1. lib. 7. de vſu par. cap. 4. lib. 1. de cor. hum. appel. c. 9. & lib. 2. c. 5.

Ruffum Epheſinũ,poſteriores verò guttur quẽadmodũ,& nõnulli alii eius caput nominarunt.

De laryngis appellationibus, & conſtructione.

Cap. III.

EA pars,quæ à græcis larynx,à latinis verò propriè guttur appellatur, caput eſt, ſeu ſuprema,vel finis ſuperior aſperæ arteriæ,quã & bronchi caput antiquiores appellarunt, à quam plurimis verò auctoribus, & interpretibus epiglottus perperam vocatur, qui eſt propriè ipſius operculum, & quibuſdam in locis Galeni pro larynge gutturis caput And.Lacuna vertit,ſicut alii Galeni interpretes in lib.3.de ſan.tuen.cap.2.& lib.4. aph.comm.34.lib.2.de plac.Hipp.& Plat.cap.4. & Paulus Craſſus Ruffi Epheſii interpres lib.1. cap.9.& cap.24. pro larynge, vel bronchi ſummitate guttur interpretãtur. Hanc partem etiam pharynga appellatam eſſe tradit Galenus, cum tamen veteres græci hoc nomẽ faucibus adaptarint; hanc itaq; partem, quæ eſt primum, ac proprium vocis edendæ organum,in collo extare apparet,ſurſumque nobis tranſglutientibus fertur, & conſtituitur, ex cartilaginibus, muſculis,ligamentis,tunicis,neruis,venis,& arteriis,cartilagines,quibus conflatur,exGaleno ſunt tres magnæ nihil,neque figura, neque magnitudine, iis, quæ aſperæ arteriæ inſunt, ſimiles,prima, quæ & ampliſſima & anterior eſt gibba, quam & tangimus intus caua ſcuto quodammodo ſimilis non rotundo vndique,ſed prælõgo, quo antiqui in prælíis vti

lib. de vocal. inſtr. diſſect. cap.4. lib.7. de vſu part. cap.11.

lijs vti ſolebant, cuius ratione ſcuti formis cartilago vocata eſt, ab aliis verò epiglottalis ſiue eglottalis, quod longam habeat figuram exterius oblongam, interius concauam, vt mediam circuli partem efformat, hanc verò geminam obſeruauit Veſſalius potiſſimum in viris, ſecunda cartilago quanto priore minor eſt, tanto maior eſt tertia maximaque ſui portione, in poſterioribus laryngis ſedibus reponitur, qua ſtomachus deorſum à faucibus fertur. Quantum enim ſcutiformis cartilago à perfecta circuli figura deficit, hoc ipſa ſuperiori poſteriorique eius parte ſupplet interna huius cartilaginis amplitudo exactè leuis eſt; poſterior autem ipſius ſedes ſtomachum ſpectans, longa extuberat linea, ſecundum cartilaginis longitudinem ſpinæ quaſi modò exporrecta, cętera verò ad cōſtructionem, ſitum, ac connexionem huius membranæ attinētia fuſè Veſſalius explicat: hęc cartilago apud antiquos nullum peculiare nomen habuit, ideò à recentioribus innominata cartilago dicitur, à quibuſdam verò aliis circularis, ſiue annularis, eò quod circuli ſeu annuli quē Thraces dextro pollici ſagittantes imponūt, figuram referat, tertia cartilago laryngis, cuius oram ſuperiorem arytenoidi anatomicorū plurimi vocant à figura ſuperioris partis vaſorum, quibus aqua funditur manibus ſimilitudine hęc ab omnibus vnica, ac ſimplex deſcribitur, duplex verò à Veſſalio cōſtituitur, quarum vna dextro ſecundæ cartilaginis lateri, altera ſinixtro innititur ſinum leuem, & altè latis cæla-

lib. 1. de corp. hum. fab. cap. 38.

tum obtinens, quo ſecundæ cartilaginis tuberculum excipit: itaque articulatur, vt ad internam laryngis amplitudinē, ac rurſus extra illam moueri poſſit, hæcque cæteris laryngis cartilaginibus maximè mobilis exiſtat: vtriuſque cartilaginis baſis ampla eſt, & anteriori ſede in longum proceſſum finit in interiora laryngis exporrectū, ſuperiores verò harum cartilaginum partes ſenſim à baſi inuicem dehiſcentes, ac dein tenuiores, molliores que, & adipoſæ redditæ, mutuo vniuntur, & dexteræ cartilaginis ſuperior pars ſiniſtræ cartilaginis parti coniuncta, eam laryngis ſedem extruit, quæ illi vaſorum parti cōgruit, qua manibus aqua effundi ſolet: hæc laryngis ſedes adeò mollis flexibiliſque eſt, vt vomentibus in internam laryngis amplitudinem antrorſum reclinetur, aſperamque arteriam adeò exquiſitè integat, vt ne minimum quidem ex vomitu arteriæ ipſi illabatur: Rectiſſime laryngem ex cartilaginibus, & iis plurimis eſſe conſtitutam teſtatur Galenus, vt ad edendam vocem reſonaret, ad ſpirandum non concideret, & ad voluntatem noſtram moueri poſſet; non enim vt meatus ſolus, ſed vt inſtrumentum voluntarium inſeruit, tribus verò, & non pluribus cartilaginibus eſſe conflatum ad duplices genere illius motiones dilatationis, videlicet, ac conſtrictionis, clauſionis, & apertionis Galenus explicat. Aduerſus tamen Galeni, Veſſalii, ac Falloppii ſententiam Realdus Columbus peritiſſimus Anatomicus laryngem ex oſſibus; non autem ex cartilagi-

lib. de Voc. inſtr. diſſec. c. 6.

Laryngem non eſſe oſſā probatur.

tilaginibus conſtructam eſſe arbitratur ſola ſua experientia nixus, cuius opinionem probare non poſſumus, cum rationes allatæ à Galeno hac in re contrarium perſuadeant; ſi enim laryngis corpus ex oſſibus factum fuiſſet, primum quidem duritie gulam tibi proximam comprimeret, deglutioniq; impedimẽto eſſet, deinde põdere ſuo linguam, ac os hyodes traheret, eorumq; actiones oblæderet, præterea maioribus muſculis, vtpote grauius corpus moturis indigeret, ob idque multa anguſtia, ac turpitudo in hac parte contingeret; ſi verò ex tenuibus oſſibus fuiſſet conſtructum, facilè ea eſſent confracta, quippe quæ fragilia, rebuſque omnibus extrinſecis expoſita eſſent, præterquam quod ſi hæc pars oſſea fuiſſet facta, vocis aptum inſtrumentũ nequaquam eſſet; duram enim, ac ſæuam in aëra percuſſionem faceret: nam quod adeò molle eſt corpus, vt cedat ac conſentiat, vocem facere non poteſt, neq; quod durum eſt, quodque promptè aërem, tum ſecat, tum euertit, verùm quod moderatè cedit, blandeq; ſpiritum pulſat, id certè vocis cauſſa efficitur, cartilagines verò mediam ſortitæ ſunt inter carnem, & oſſa, naturam; caro enim à ſpiritu euerti poteſt, & os ſæuam percuſſionem facere ſolet, ideò ex illis compoſitum inſtrumentum ad vocem edendam fit aptiſſimum. Porrò quod primum in larynge vox formetur, quodq; dilatetur plurimum, ac comprimatur, aperiaturque, ac claudatur ad vnguem, nonnunquã ſupernum eius orificium aptior ei fieri conſtructio

lib. de Voc. inſtr. diſſec. c. 6.

lib. 7. de vſu par. cap. 4.

nulla poterat, quàm ea, quam nũc habet ex hiſce cartilaginibus mutuo applicatis, quas moueri per muſculos oportuit, ob id muſculi cũ proprii, tum communes in larynge facti ſunt, de quorum numero ſcriptores inter ſe non conſentiunt, nam proprios muſculos duodecim habere humanam laryngem vna cum Galeno aſſerit Veſſalius, decem verò tãtum eſſe arbitratur Valuerda, ac Piccolhominus, & nouẽ Columbus, ac Falloppius reperiri exiſtimant: communes muſculos, octo habere ſcribunt Galenus Veſſalius, ac Valuerda, ſex Falloppius, quinque Columbus, & quattuor tantum Piccolhominus ſtatuunt: ex peculiaribus laryngis muſculis, auctore Galeno, decem tribus cartilaginibus ſunt cõmunes, quorum quattuor primam cartilaginem ſecundę cõnectunt, in animalibus magna voce præditis, alii quattuor in omnibus animalibus ſecundam tertiæ committunt, alii duo primam tertiæ copulãt, reliqui duo ex duodeno numero in baſi tertiæ cartilaginis ſedem habent: iam primi duo ex commemoratis partes laryngis anteriores coniungunt, & magnã laryngis cartilaginẽ claudunt, ſubſequentes verò duo eas, quę in intimis ſunt abditæ, reſerant, aliorum ſex quattuor cartilaginem artenoidem aperiunt, reliqui duo claudũt. His auxiliantur tranſuerſi duo muſculi in pluribus animalibus coaleſcentes, qui baſim tertiæ cartilaginis conſtringũt, ex duodecim verò laryngis propriis muſculis teſtatur Veſſalius octo laryngem arctare, quattuor ſcilicet primam ſecundæ nectentes, & duo tertiam

tertiam primæ committentes, ac demum duo in baſi tertiæ cartilaginis expoſiti: quattuor verò ipſam reſerant, aperiuntue, illi nimirum, qui tertiam ſecundæ iungunt. Octo communes muſculi his multo maiores ſolique ſcutiformi proprii, qui laryngem cum vicinis partibus adnectunt, alterius motus ſunt duces, quo totus ſpiritualis meatus dilatatur, ac contrahitur, quorum duo ex minoribus oſſis hyodeos lateribus orti, poſt verò ſecundũ longitudinem omnem ſcutiformis parte anteriore, ac ſuperiore producti ipſam ſcutiformem trahentes, à poſterioribus eam cartilaginibus abducunt, meatumque amplificant, alii quattuor ſequantur, quorum duo ab ipſa ſcutiformi exorti, ſed ad pectus tendentes aliis duobus commiſcentur, illis ſolum animalibus, quibus magna ſunt, & totus larynx, & cartilago ſcutiformis. Hi prædictis contrariam, actionem, ac poſitionem habentes partes ſcutiformis inferiores contrahunt, traduntque infra, cum eo leuiter aſperam arteriam contrahentes, ac conſtringentes, vt neque reduplicetur quicquam, neque applicetur, cum homo vult loqui, reliqui duo trãſuerſi ex obliquis ſcutiformis partibus enati, deinde in orbem œſophagum complectẽtes ſimul inter ſe coeunt, illaſque partes primæ cartilaginis protrahunt, ſecundæque applicant, quo meatus conſtringatur. Conſiderat Veſſalius tamen Galenum octo enumeraſſe, ſex verò tantum explicaſſe, qui ſoli ſcutiformi cartilagini, non autem aliis duobus committuntur; ipſe verò Veſſalus *lib. 2. cap. 21.*

præter eos ſex, alios duos obſeruauit ex media interiori oſſis hyodis ſede explantatis, & radice laryngis operculi inſertos, quibus id munus eſt concreditum, vt laryngis parte anteriori, ac ſuperiori producti ipſam ſcutiformem trahentes à poſterioribus operculum cibis, potuque depreſſum, denuo eleuent. Quia verò muſculi mouere nō poſſunt, niſi ad ipſos virtus motrix fluat à cerebro per neruos, idcirco neruis hanc virtutem ad ipſos deferentibus indiguerunt, quare à ſexta coniugatione nerui duo, vnà cum arteriis carotidibus inferius ducuntur, collumque prætérlapſi, dum per thoracem deferuntur, in duas diuiduntur partes, quarum altera vtrinq; enata neruum efficit, qui per eandem reuertitur viam, qua prius deſcenderat; recurrit enim continuè aſperæ arteriæ adhærens ad ſex muſculos, à quibus aperiri, ac claudi larynga contingit, eiſque communicatur vocis efficiendæ gratia: nam, ſi quando lædantur hi nerui, vox aut vitiatur, aut in totum aboletur, dexter neruus ad claues permeans circum ramū arteriæ magnæ, qui ad dextram axillam fertur, veluti circa rotulam quandam obuolutus reflectitur, ſurſumque recurrit, & in tres laryngis muſculos ſuæ partis diſpergitur, ſiniſter longiſſimè productus circum maximam arteriam obuoluitur, ea potiſſimum parte, qua primum à corde emergens ſeſe ad ſpinam inflectit, inde ad laryngem recurrit, & in reliquos tres ſuæ partis muſculos diſpergitur. Cum autem muſculi duo, qui laringā claudunt, fortiſſimam

ſimam habeant actionem, ideò factum eſt, vt neruorum recurrentium plurimum in ipſos diſtribueretur, neruuſque vnus ſolidus ad fines ipſorum, ſecundum vtrumque muſculum supernè deorſum deſcendens pertineret: Ibi igitur duo nerui vocales recurrentes, ſeu reuerſiui à Galeno dicuntur, quorum beneficio muſculi laryngis virtutem motiuam à cerebro acquirunt, larynx etiam ex venis, & arteriis eſt compoſita, quas partim ab arteriis iugularibus, & venis internis, partim verò ab extrinſecis iugularibus, larynx verò rarum, aut peculiare ligamentum prorſus nullum obtinet, præter membranea, articulos orbiculatim cingentia. Poſtremò in interna parte larynx habet tunicam paulo craſſiorem, inter quam & cartilagines pinguedo quædam repoſita eſt, quæ tunica pinguior ſimul cum viſcido, quo vndique obtinetur humore, ad facilem aëris ductum conferre videatur, atque etiam in magnis clamoribus multiſque motibus exiccetur, voxque deficiat plurimum accommodare. Huc quoque faciunt aſperæ arteriæ ad laryngis radicem vtrinque appoſitæ glandes, humore ſiquidem meatũ imbuunt viſcido, ac pingui, quantus verò eiuſce humoris ad vocem vſus ſit, in dies fiſtulas humectãte oleo inungi vidẽtes docemur, neq; huiuſmodi humori procreãdo hæ tantũ glandes ſufficiunt, verum, & aliæ laryngi appoſitæ ſunt ſatis inſignes, & glandi forma perquam ſimiles, quę ſaliuam procreãt, & aſperam arteriam, ac ſtomachum cum tota

li. de diſ. ſec. vocal. ner.

li.4.epid. oris amplitudine humectāt, quæ ab Hippocrate ſpongiæ, & à cæteris græcis pariſtmiæ, & antiades, à latinis verò tonſillæ, ac amygdalæ vocatæ ſunt, quamuis glandularum inflammationes antiadas, ac pariſtmia etiam appellarint.

De lingua laryngis, ac illius operculo.

Cap. IIII.

IN ſpatio laryngis interno, ex quo emittitur & recipitur ſpiritus, corpus quoddam locatum eſt, quod neque ſubſtātia, neque figura cuiquam eorum quæ in toto ſunt animali, eſt ſimile, primumque, ac principaliſſimum vocis inſtrumentum, quod duo tertiæ cartilaginis proceſſus in media laryngis cauitate, pingui membrana obducti conſtituunt, in cuius etiam vtraque parte natura foramen vnum prælongum ſupernè, infernè inſtar lineę cuiuſdam anguſtæ, vt rima, ac fiſſura verius, quam foramen appareat, præterea ipſi foramini, quod clauſionis eſt cauſſa, parte interna ventriculus, ſeu cauitas non parua ſubiicitur, ad quam cum aër vias nactus amplas, in animal ingreditur, rurſum que exit, nihil in ventrem pellitur. Hanc partem veteres vocarunt glottidam, id eſt lingulam, & glottan, ſeu glottin, id eſt linguam laryngis, ab ea lingularum ſimilitudine, quæ ex duabus arundinum laminis compactæ, tibiis accommodantur. nōſtri verò laryngis rimam appellant: hanc græcè epiglottidam à Galeno nūcupari perperam aſſerit Guilielmus Coppus in

Gal. lib. 7. de vſu par. c. 13.

lib. 7. de vſu par. cap. 13. & lib. 16. cap. 4.

pus in primo libro de loc.aff. cap.6. & Nicolaus Rhegynus, Andreasq; Lacuna in libro 16.de vſu par.cap.4. & in lib.7.de loc.affe. cap.13. quo in loco ait Galenus ex verſione Coppi epiglottin eſſe proprium vocis inſtrumētum; epiglottis autem eſt laryngis operculum.quod quidem voce, niſi fortaſſis ad illius aliquam modulationem accommodat, hanc verò partem laryngis, nempe rimam ſummè neceſſariam eſſe,& pręcipuam ad vocem edendam. hinc patet, quod vox fieri non poſſit, ni tranſitus anguſtetur, nam ſi amplior omnino totus fuerit, haud quaquam fieri vox poterit. Quod ſi leniter ſpiritus efferatur,expiratio fit ſine ſono;ſin verò repēte, ſimul ac vehementer ſpiritus effundatur, ſuſpirium efficitur; vt autem vocem edat animal, indiget omnino etiam ea ſpiritus motione, quæ ab infernis repentè ſimul erumpat; indiget autem nihilominus hac tranſitu etiam anguſtiore,qui in laringe eſt; non tamen ſimiliter anguſtiore, ſed qui paulatim ex amplo ad ſtrictius tendat, paulatimque ex ſtrictiore laxetur,id quod penitus efficit lingula, ſeu laryngis lingua,quæ non modo ad vocem eſt neceſſaria, ſed etiam ad cohibitionem ſpiritus: Laryngis orificio epiglottis, veluti operculū quoddam rerum omnium conditor indidit, ne quando tranſglutimus repentè in ſpiritus meatum,nō modo potio, ſed cibus etiam incidat,de cuius quidem partis ſubſtantia nihil dicimus cum ad vocis generationem minimè conueniat, vt ſuperius oſtenſum eſt, dumtaxat animaduertentes per-

peram hanc partem Cornelium Celſum lingulam appellaſſe, quem errorem ſequutus Realdus Columbus agens de epiglottide, quę fiſtulam tegit lingulam etiam appellatam eſſe ſcribit; Theodorus etiam Gaza hallucinatus eſt in expoſitione Ariſt. in lib. 2. de part. animal. ca. 3. vbi per verbum epiglottida lingulam vertit, cum tamen Ariſt. non linguam, ſed laryngis operculum intelligat, quod epiglοſſim, ſeu epigloſſidam Ruffus Epheſius nuncupauit.

lib. 1. de par. corp. hum. appel cap. 8. & lib. 2. cap. 4.

De gurgulione, ac Palato.

Cap. V.

IN ſumma oris parte ad fauces ſuſpenſa apparet carnoſa, & fungoſa, ſeu vt alii volunt, glandulоſa quædam pars, & oblonga ſuperius, vbi palato continuatur latior inferius, pyramidis inuerſæ inſtar acutior, venulas quaſdam ex vaſis palati tunicam adeuntibus in ipſo medio aſſumens, quæ à græcis Gargareon, & Cion, à veteribus, aliquando Iſtmon, nomen faucium peculiare, à noſtris verò gurgulio, columna, columella, ab aliis vua, vgula, ac tintinnabulũ à voce, ac ſonitu appellari conſueuit, cuius primarius vſus, vt anatomicorum coryphęi arbitrantur; eſt vocis modulatio & elegantia, vt merito quoddam vocis plectrum, ita ad cauum palatum pendens cenſeatur, ſecundario autem alium vſum præſtat, vt aër ingrediens primum ab ea incidatur, frangaturque impetus illius vehementia, neuè nimium frigidus

Gal. lib. 11. de vſu par. c. 11.

frigidus in pulmonem feratur, ſiquidem hi, quibus gargareon ad radicem præſectus eſt, non vocis dumtaxat læſionem, ſed etiam aërem impenſius frigidum, noxium experiantur, vt & nonnulli, thorace, ac pulmonibus refrigeratis hac de cauſſa interierint; tertio ad aëris expurgationem non mediocriter conducit: puluerem enim, aut eiuſdem generis ſubſtantiam quandam ſibi applicat, quæ alioquin in laryngem ſimul cum aëre erat aſſumenda. Quamobrem non ſatis mirari poſſum de peritiſſimo quodam Anatomico, qui exiſtimauit vſum huius penduli corporis eſſe, vt aliquid humoris liquidi ſemper inſtillet ad humectandam laryngem, cum ea & ex pingui quadam ſubſtantia interius ipſi inſita, & à circunſtantibus glandibus, prout eſt opus, lenis, & humecta reddatur, præterquam quod gargareon nullam, qua aptè aliquid ſuſcipiat, cauitatem năciſcatur, & quoties humore aliquo imbuatur, laxatus muris caudæ forma propendeat, aut alio quopiam grauiſſimo malo, dum fluxionem ſuſcipit, conflictetur. Tandem diximus ex Galeni ſententia, etiam palatum veluti Iſchion quoddam, id eſt vocis refractorium vocem ipſam adaugere, quam partem oris ſuperiorem Yperon, vel Vraniſcum, hoc eſt oris cælum, Ruffus Epheſius, & alii nuncuparunt. gurgulio igitur ad vocis elegantiam, palatum verò ad eiuſdem magnitudinem conferunt.

Fallop. in anat. obſer.

lib. 7. de vſu par. cap. 5.

lib. 1. c. 8.

Quænam ſit cauſſa materialis vocis, & quibus animalibus vox inſit.

Cap. VI.

lib. 4. de loc. affec. cap. 6.

CAuſſa materialis vocis ex Galeno eſt flatus, ſeu ſpiritus, qui exufflatur, ex ſimplici enim expiratione vox non efficitur; cum enim animal dum viuit, perpetuo expiret, perpetuo etiam vocem ederet, nec etiam ſola exufflatio ſatisfacit, ſed opus eſt, vt cum ſtrepitu efferatur, & tunc vox editur, articulatur verò poſtmodum, & fit ſermo, ita vt vox ſit ſermoni materia, efflatio voci, & exufflationi expiratio, vt hæc quinque ſeſe conſequantur. expiratio, exufflatio citra ſtrepitum, ſtrepens exufflatio, vox & loquella, quarum ſi prima læditur, reliquæ omnes neceſſariò læduntur; vltima verò læſa, aliæ non lædantur, at cum ſecunda reliquæ tres, cum tertia reliquæ duæ, cum quarta poſtrema ſola offenditur; hæ verò omnes, ſicut diuerſæ ſunt actiones, ita & diuerſarum partium ope fiunt. Hac in re Galenus naturæ prouidentiam admiratur, quod cum melius fuerit vocem homini ineſſe, fieri autem eam omnino ſine aëre non poſſe quicquid ſuperuacaneum alioquin, atque inutile erat expirandum, id in materiam vocis conuerterit. Oritur circa ea, quę diximus ex Galeno, non leuis dubitatio, quod videlicet ea quinque ſeſe conſequantur, expiratio, exufflatio, vehemens exufflatio, vox, & ſermo, quarum ſi prima offendatur, offendantur & reliquæ, ſi ſecunda reliquæ inferiores,

Verum offenſa voce lædatur & loquela.

riores; oppoſitum enim docuit Auicenna, qui ſcribit, quod quando fortia ſunt nocumenta, *lib.3.fen.* nempe voce deſtructa, non oportet vt deſtrua- *10. tract.* tur locutio, certum enim eſt ſæpenumero offen- *2.cap.1.* ſa voce non lædi loquelam, nam aliqui fuerunt, quibus cum recurrentes nerui ſecti eſſent, ablata fuit vox, ipſa tamen ſermonis explicatione integra, adde cum ſubmiſſa voce loquimur, ablata ipſa vox videtur, loquendi tamen vi illæſa, cui quidem dubitationi ſatisfacere poſſumus, Galenum ſermonis nomine intellexiſſe altius prolatum ſermonem, qui certè ablata voce aufertur, Aut cum ſubmiſſa voce loquimur, ſeu ex morbo, ſeu ex induſtria, non prorſus amiſſa vox dicitur, ſed craſſa admodum, cui, & preſſus proportione reſpondet ſermo. Aut etiam Auicennam per vocis deſtructionem magnæ, ac vehementis vocis ablationem intellexiſſe, vt ſenſus ſit, auferri quandoque vociferandi vim, non tamen ſubmiſſa loquendi voce. Eandem de materiali cauſſa vocis ſententiam habuerunt, cum Galeno, Ariſtotel. ac cæteri Philoſophi græci, aërem nempe expiratum eſſe vocis cauſſam materialem, quæ ex eorum principiis, ac dogmatibus, ita excipitur, ſicut in omni motu tria ſunt, mouens, mobile, & ſpacium, in quo fit motus, ita in omni percuſſione, percutiens, percuſſum, & medium, quo fit percuſſio, ſed ſi ſubiectum motus ſecundum locum eſt ipſum, quod mouetur, non autem ſpatium, quod terminus potius eſt percuſſionis, non ſolum ipſum percuſſum, ſed etiam

medium ipſum, quatenus eſt, quod pellitur, & alliditur; hic verò aër ipſe eſt, qui pulmone inſpiratus, deinde expiratur; vt igitur hic ſubiectum, ac materia percuſſionis eſt, ita & vocis, quæ conſequitur huiuſmodi percuſſionem; & quamuis dixerit Ariſtoteles, vocem eſſe ſonum animalis, vox tamen omnibus animalibus non ineſt, ſed duntaxat ſpirantibus, & ſanguinem habentibus, quorum enim eſt vox, eorumdem eſt & reſpiratio; at quæ ſanguine carent, vt vermes, non egent reſpiratione, cum ea ad calorem ſanguinis refrigerandum ſit data animalibus. quattuor autem ſunt genera animalium, quæ ſanguine carent, vt aſſerit Ariſtoteles, mollia ſcilicet, quæ mollem habent carnem exterius, vt polypi, & ſepiæ, & animalia, quæ mollem teſtam habent, vt cancri, & quæ duram teſtam habēt, vt oſtrea, & animalia anuloſi corporis, quæ omnia, & ſanguine, & voce etiam carēt: quæ etiam pulmone carēt, non ſpirāt; inſecta verò, vt muſcæ, apes, & cicadæ, carent pulmone, quare & ſpirare non poſſunt, quo cum careāt, nullam vocem emittere poſſunt; & ſi vocem edere aliquando ipſa videantur, non eſt vera vox, ſed ſonus quidam intus meante ſpiritu, & incluſo ſonante, alia enim murmur edunt, vt
li.11.c.51. apes, alia canere, vel cum tractu ſtridorem, vt ait Plinius, edere dicuntur, vt cicadæ, recepto enim duobus ſub pectore cauis ſpiritu, mobili occurſante membrana intus attritu eius ſonare viſcera, ſat notum eſt, cætera cum volant, vt muſcæ, apes, & iis ſimilia ſeſe attollunt, & contrahunt, & ita
ſonum

ſonũ edunt;ſonus enim attritu,& interiore aura, non anima redditur, locuſtæ ſuis gubernaculis atterentes ſonant. Neque omnia animalia ſanguinem habentia, facultatem vocem emittendi habent,ſed terreſtria tantum;piſces enim,& quę ancipitem vitam agunt,ſanguinem habent,& tamen vocem nõ edunt, quod duplici ratione probat Ariſt. Vox eſt ſonus, ſonus verò eſt percuſſio aëris, ſi piſces vocem haberẽt, ſequeretur eos reſpirare aërem,& in aëre degere poſſe: quod cum ſit impoſſibile, fieri etiam non poteſt, vt vocem habeant.præterea cum piſces inſtrumentis reſpirationi, ac voci famulantibus, pulmone nempe, aſpera arteria, ac gutture careant, vocem emittere nequaquam poſſunt, quamuis ſonos quoſdam ſtridoreſque moueant, qui vocales eſſe exiſtimãtur, aper enim piſcis, quẽ Achelous amnis gignit, grunnitum habet, erica quodammodo ſtridet,& cuculus obſtrepit, & hi omnes vocales habiti ſunt, creditam tamen illam vocem emittunt, vel attritu branchiarũ, quas horridiuſculas cõtinent,aut ſuis interioribus,quæ circa ventrem habentur; ſpiritus enim incluſus in iis eſt, quem dum atterunt,atque agitant,ſonos illos elidunt, neque quæcunq; vtrobiq; ſine diſcrimine vitam agunt,edere vocẽ poſſunt, vt quæ teſtaceam cutem habẽt,vt cochleę,& quę mollioris ſunt teſtę vt cãcri,ac mures aranei,quãuis fluuiatilis equus, crocodilus,ac delphinus vocem emittant, ſicuti Ariſtoteles exiſtimat vna cum Plinio; qui tamen credidit contra illius ſententiam piſces ſpirare

lib. 2. de anima.

Piſces,an ſpirare poſſint.

lib. 9. c. 7.

poſſe, & loco pulmonis alia viſcera ſpirabilia habere, quorum ratione emittere vocem poſsũt, in aqua verò poſſe ſpirare, vel ſpiritũ in aqua penetrare poſſe probat, cum ſpiritus etiam reddatur ab his animalibus, quæ ſemper defoſſa viuũt, vt talpæ, & in terram tanto ſpiſſiorẽ naturæ partem penetret.

De Vocis cauſſa formali, ac finali, & quomodo fiat.

Cap. VII.

Vocis cauſſa formalis eſt talis, vel talis dearticulatio aeris, facta ab anima retinente aerem, ſicut digitus fiſtulatoris retinet eũ in fiſtula. Quò ad cauſſam finalem cum reſpiratio motus quidam ſit, quem appetitus animalis moderatur, cohibere, & laxare poteſt, ab appetitu quoque vocem eſſe dicere debemus, appetitus verò animalis cum ſequatur imaginationem, ab imaginatione etiam ortum ducere aſſerẽdum eſt, & ideò dicitur vox ſonus ex imaginatione productus; quoniam verò omnis appetitio boni, cuiuſpiam propter aliquem finem electio eſt, cum reſpiratio, & vocis emiſſio ſit ab imaginatione, & appetitu, alicuius quoque gratia erit vitæ ſcilicet ipſius ſeruandæ cauſſa, propterea additum eſt in definitione, vt benè ſit ei, intẽdunt enim animalia internos animi affectus reuelare, & hoc tanquam vtile ſit illis, & ideò voces edunt, quas cognoſcunt ad huiuſmodi manifeſtationẽ accommodatas

modatas eſſe, & propterea Ariſtoteles dicit, vocem eſſe moleſti, & iucũdi ſignificationẽ, quamuis ibi propriè loquatur de vocis ſignificatione naturali, qua animalia ſuas paſſiones interiores promunt, & ita vox dicitur eſſe à natura, cum nec ex aliqua cõſuetudine, vel inſtituto humano fiat, nos verò cum eodem Ariſto. loquimur de ſignificatione vocis, qua intellectus conceptus, & res patefiunt, quæ ſignificatio ad placitum, & ex humano inſtituto eſt, & quę non ineſt, niſi vocibus humanis, homo enim res, non ſolum ſenſu, ſed intellectu percipit, formans earum ſimilitudinẽ, quæ dicuntur conceptus, & ab Ariſtotele paſſiones, & quia conceptus iſti occulti ſunt, vtitur vocibus, veluti quibuſdam ſignis ad tales cõceptus explicandos: ex quibus colligere poſſumus, non omnem ſonum ab ore animalis prodeuntem eſſe vocem, ſicut & ſuperius dictum eſt, quia non quilibet ſonus ab imaginatione proficiſcitur, vt aliquid indicet, tuſſis enim ab ore ſonus quidam eſt, non tamen vox eſt, cum non ſpontè, ſed naturali fiat neceſſitate, cuius tuſſis duo genera Galenus fecit, quorum vnum vehementem ſpiritus ad exteriora motionem appellat, alterum leuem quendam tuſſiendi appetitum; primum nil aliud eſt, quàm vehementiſſima efflatio, qua plurimus ſpiritus foras erumpens impetu ſuo extrahit, exploditq; excrementa, & quicquid meatus ipſius obſtruit; ex ſuperius dictis etiam patefit, reſpirationem, & vocem animalibus eſſe neceſſariã diuerſa ratione, reſpiratio enim ſimpliciter eſt ne-

lib. 7. Polit. c. 1.

primo lib. per hier.

tuſſis duo genera.

ceſſaria, quia ſine illa animal viuere non poteſt; vox verò neceſſaria eſt ſecundum quid, vt bene animali ſit, nam ſine voce viuimus, ſine autem reſpiratione nequaquam. Cum igitur anima ſit primum efficiens, cui propinqua ſemper adſunt vocalia inſtrumenta, in cerebro recurrentes nerui, in thorace aſpera arteria, ſpiritus vero, qui exufflatur illius materia, nec non ab appetitu, & imaginatione proficiſcatur ob aliquod commodum, quoties animal ſuos conceptus ſeu paſſiones promere voluerit, prius per muſculos aërem in thorace contentum, ſurſum per aſpeream arteriam cum impetu pellere contendit ad laryngis lingulam, & rimulam, vt puta congruũ, ac appoſitum vocis inſtrumentum, ibidemque ſonus paſſionum animi effingitur, quando ad hunc ipſum affectum ab ipſo præmotus fuerit, qui ſonus ab omnibus vox appellatur.

Quando Vox fiat.

De Vocis differentiis, & vtrum vna tantum ſit vox, an plures.

Cap. VIII.

VT perfecta ac integra vocis cognitio habeatur, ordo ab initio nobis propoſitus expoſcit, vt de eius differentiis, ſeu ſpeciebus, mox à quibus cauſis fiant, verba faciamus. Vocis ergo differentiæ aliæ ſunt naturales, ſeu eſſentiales, ac præcipuè, aliæ præter naturam accidentales, & aſ-

In Timæo lib. 2. de

& aſcititię; Priores vt eſt concors Platonis, Ariſt. & Galeni ſententia, ſunt vox magna, ſeu grandis, parua, ſeu exigua, lenis, & aſpera, acuta, & grauis, quæ differentiæ cum habeant latitudinem quandam, & ſuſcipiant magis, & minus, reperitur inter eas mediocritas quædam, ſeu media quædam natura, ita vt aliquæ voces non ſint abſolutæ magnæ, ac paruæ, ſed mediocres, & in mediocritate, & æqualitate quadam conſiſtant, aliæ verò magis, & minus ab hac recedant, ad extremaq; accedant, vt inter has extremitates plures mediæ ſint ſpecies. & idem de voce leni, & aſpera acuta, & graui eſt dicendum; & hæ vocis differentiæ, vt placuit Quintiliano, deſumuntur à quantitate, & qualitate ipſius vocis; à quantitate deſumitur, magna, ac parua: cæteræ verò à qualitate. Differentiæ verò non naturales, ſeu accidentales, quæ proportione reſpondẽt naturalibus differentiis, multæ ab auctoribus numerantur, alia enim eſt longa, & breuis, alia eſt dura ſeu rigida, alia mollis, ſeu flexibilis, alia eſt cõſtans, ſeu firma, alia incõſtans, ſeu infirma, aut tremula, alia eſt exilis, ſiue tenuis, vel ſubtilis, alia craſſa, ſeu plena, alia tenebroſa, vel conturbata, & turbida, alia pura, ſeu cãdida, vel lucida, vel ſonora, vel canora, alia obſcura, vel fuſca, vel obtuſa, alia rauca, alia abrupta, ſeu effracta, vel intercisa, alia contracta, alia diffuſa, fracta vel fuſa, ſeu ſciſſa, alia glangoſa, alia plorabunda, ſeu ploroſa, vel luctuoſa, ſeu lugubris, vel flebilis. Circa has vocis differentias, non leuis inſurgit difficultas, an vna tantum ſit

anima teſt. 108. lib. art. med. cap. 67.

li. 11. inſt. orat. c. 3.

Ariſt. in præd. Auicen. 10. 3. tra. 2. cap. 6. Quintil. Ar. 5. de gen. animal. c. 7. Cic. 2. de nat. deor.

Hipp.

an vna tantũ ſit

Vox, an plures. vox à natura, vel plures; videtur enim hac in re *cap. 9.* Ariſtotelem ſibi non conſtare; nam in lib. 4. de hiſt. animalium ſcribit, homines varia vti locutione, vnam tamen, & eandem reddere vocem. in *Probl. 58.* ſect. verò vndecima Problematum oppoſitam habuit ſententiam; ibi enim quærit, cur cætera animalia eiuſdem ſpeciei vocem eandem fundāt, homines autem variam, & multiplicem agant, & vocis humanæ genera, & diſcrimina quamplurima eſſe, quod etiã magis manifeſtum fit, eo quod pluribus in locis varias ſtatuerit eſſe vocis humanæ differentias. Quibus tamẽ à ſeipſo haud quaquam diſſentire credendum eſt; duplicem enim differentiam, vel potius modum in voce agnoſcere poſſumus, alterum ſpecificum, & aliũ ſingularem. ſpecificum illum vocare liceat, ſecundum quem vox vnius ſpeciei animalis diuiditur à voce alterius ſpeciei, vt rugitus ab vlulatu, grũnitu, & voce humana, ſingularem appellamus, ſecundum quem voces animalium eiuſdem ſpeciei differunt, vel etiam eiuſdem indiuidui diuerſis temporibus; conſtat enim vocem Ioannis, nõ ſolum à voce Caſſiani, ac Franciſci, ſed etiam à voce leonis, ac aliorum animalium differentem eſſe, & vocem Ioannis infantis differentem à voce Ioannis adoleſcentis, viri, & ſenis; & prolatam remiſſe ab ea, quæ cum conatu emiſſa; ſicut enim facies humana vna eſt ſecundum ſpeciem, multiplex autem ſecundum numerum, ita vox cuiuſcunque animalis, vt patet in ſolutione citati problematis, vbi Ariſt. ait, quod hominum vna vox

eſt ſe-

eſt ſecundum ſpeciem, videlicet, multa autem genera loquendi ſecundum numerũ. ideò Quintilianus ait, vt facies, quanquam ex pauciſſimis cõſtet, infinitam habet differentiam: ita vox, etſi paucas, quæ nominari poſſunt, cõtinet ſpecies, propria cuique eſt. Ariſtoteles itaque vnitatem ſpecificam reſpiciens, vnam vocem hominis appellauit. locutionem tamen variam, qua ſermo præter differentias vocis, habet etiam proprias. Porrò vtriuſque differentiæ, ſiue modi cauſſæ nõ aliæ ſunt, quàm ipſęmet, quæ ſunt vocis; quare vox leonis, & hominis ſpecie differunt, quia corpus leoninum, & humanum, ſiue organum, quo vtitur leo, ab eo ſpecie differt, quo vtitur homo; ſimiliter diuerſorum hominum voces differunt, quia vnusquiſque proprio vtitur organo, propria ſiquidem ineſt ſingulis organi diſpoſitio, & affectio, differentiam tamen, quæ eſt ſecundum cauſſam formalem, niſi aurium iudicio, facilè eſt iudicare, non tamen intellectus, vt doctè explicauit Marcus Cicero, & ideò rerum verborumq; iudicium prudẽtiæ eſſe, vocum, & numerorum, aures eſſe iudices; & Fabius, ſicut facies oculis, ita vox auribus dignoſcitur. *lib. 2. de nat. Deorum. lib. de Oratore.*

Quid ſit vox acuta, & grauis, & eius cauſſa explicantur.

CAP. IX.

CVm acumen, & grauitas vocis ſint primæ, ac principes vocũ differẽtiæ ex Ariſtotelis ſen-

lib.2. de Anima. tom.86. lib.4. de hiſt. animal.c.9. ex 2.de anima.

tentia: nam vox, vt ſcribit Philoſophus, acumine & grauitate maximè innoteſcit, de cauſſis harum differentiatum, primum erit agendum cognita illarum natura. Vox acuta illa ſimpliciter eſt dicenda, quæ ad magnam diſtantiam celeriter peruenit, remotiſſimas ferit aures, ac diu permanet, vel vox acuta eſt, quę citò, ac breui tempore mouet auditum. Vox autem grauis, quæ paruo interuallo, ac tardius audiri poteſt, & celeriter ceſſat, aut vox grauis eſt, quę tardè, & in longo tempore mouet auditum, quæ acuminis vocis, & grauitatis deſcriptiones ex ipſis nominibus facilè colliguntur; acutum enim propriè dicitur de ſolido corpore, quod cum in mucronem faſtigiatum eſt, aptum eſt penetrare quamprimum internas mollis corporis partes, cum graue, quod obtuſum vocatur, ſit ad penetrationē ineptum, & ad repellendum potius, quàm ad diuidendum accōmodatum, vel ſegnius, ac tardius penetret: quod ſi acutum ſenſum tactus moueat, dolorem in imis, nec non extimis animalis partibus excitabit, quod graue, & propriè in mucronem retuſius eſt, non præſtabit. Itaque ſi propter ſimilitudinem tranſlatæ ſunt huiuſmodi notæ à corporibus ad voces, acuta illa erit, quæ longo ſentitur interuallo, ſiue magna, ſiue parua ſit, grauis verò, quæ exiguo; hanc verò rem Philocopus exemplis aptiſſimis fidium, & arcuum perbellè declarauit, quem legendum à lectore ſuademus. In reddenda acuminis, ac grauitatis vocis cauſſa reperimus Ariſtotelem manifeſtè ſibi contra-

lib.2. de anima incom. tex.86. Ariſtot. contrad.

contradicentem; cum enim vox eo remotius feratur, quo maiori conatu aër, in quo eſt, pellitur, celerius verò aër impellatur à vehementiori, ac maiori conatu, ideo libro quinto de generat. animal. arbitratus eſt, acuminis cauſſam eſſe celeriorem motum aëris ex valido mouente prodeuntem, grauitatis verò cauſſam eſſe tarditatem motus ex imbecillitate mouentis, ita vt ad celeritatem acquirendam opus ſit, vt impellens ſuperet impulſum, quod ſi maior copia ſit ſpiritus, quàm virtus in pellens poſſit ſuperare, ſequitur, vt tarda fiat motio, proinde vox emanet grauis potiſſimum, ſi viæ ſint amplæ, ac laræ, quod ſi proportione aër reſpondeat ipſi virtuti impellenti, vtique velox fiet motus, & ex celeri motu, vox acuta, præſertim ſi inſtrumenta ſint anguſta. eandem ſententiam habuit Ariſtoteles in ſect. 11. Probl. vbi quærens, cur aqua frigida acutiorem faciat ſonum, quàm calida, ex eodem fluens vaſe? reſpondet, quoniam frigida velociorem habet motum, velocitati motus addens obſtrependi, ſeu ſoni tenuitatem, ac vim penetranda in alio Problem. vt cauſſa ſit acuminis vocis; in ſectione vero quinta Problem. ſatisfaciens quæſtioni, cur qui animo deficiunt, & qui præ nimio exercitandi labore diſſoluuntur, vocem reddant acutiorem? reſpondet, quia voces minores mittuntur, ideò acutiores eſſe videntur, quaſi velit dicere, reuera huiuſmodi voces eſſe paruas, cum ex paucitate ſpiritus fiant, acutiores tamen videri cum reuera non ſint. Præterea in ſect. 19.

circa cauſſam acum. & grau.

q. 10.

q. 20.

q. 4.

cauſſam acuminis vocis reiicit in paucitatem ſpiritus in duabus propoſitis quæſtionibus, in quæſtione enim 37. ait omnia, quæ natura ſunt imbecilla, emittere acutam vocem, quoniam aëris parum, non multum ciere poſſint, parum autem aëris velociter feratur; in quæſt. verò 11. ſcribit vocum deſinentias, ſeu extremitates eſſe acutas, quia paucitas eſt aëris in fine percuſſionis, quod quidem experientia comprobatur in fidibus, quę dum intenſiores ſunt, acutiorem faciunt ſonum, quia parum aëris percutiunt, vtramque cauſſam acuminis vocis paucitatem, nempe ſpiritus, ac

q. 21. velociorem motum complexus eſt in ſect. 11. vbi quęrens, cur exercitati, ac debiles vocem emittāt acutam, reſpondet, quia debiles modicum mouent aërem; exercitati vehemēti motu, modicus verò aër, & qui vehementer motus eſt, velocius fertur. ideò, vt appareat Ariſtotelē cauſſam acuminis, & grauitatis aliquando reiicere in copiam, & inopiam aëris, nonnunquam in velocitatem, ac tarditatem motus, aliquando in vtrunque addens modò obſtrependi tenuitatem, modò impellentis robur, & modò inſtrumentorum vocalium anguſtiam, & latitudinem. In quinto tamen de generat. animal. reprehendit ſententiam eorum, qui dixerunt acumen, vocis ex paucitate ſpiritus, grauitatem verò ex multitudine fieri, quoniam ſequeretur, acutam vocem ſimul, ac magnam grauem, & paruam reddi non poſſe, cū

ſolutio cōtradictionis. ex contrariis fiant cauſſis, quod tamen rationi, & experimento contradicit. Vt hæc manifeſta in

dictis

dictis Ariſtotelis controuerſia remoueatur, poſſumus dicere paucitatem, & copiam flatus eſſe cauſſam acuminis, & grauitatis vocis, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, vt paucitas, & copia ſpiritus refertur ad vim impellentem; cum enim ſpiritus eſt in tali copia, vt virtutem mouentem ſuperet, nec illi ſit proportionatus, tũc dicitur multus ſpiritus, qui à virtute imbecilla, niſi tardè moueri poteſt, cum autem paucus eſt ad illius imbecillitatem comparatus, ocius, ac velocius ab ipſa virtute expellitur: nã ſi quod mouetur, excedit mouentis virtutem tardè moueri, ſi verò ſuperatur, ocius ferri neceſſe eſt. Ariſtoteles itaque arbitratur ex paucitate, & copia ſpiritus ſimpliciter tenuem, & grauem vocem reddi non poſſe, ſecundum verò quid, & in comparatione ad virtutem impellentem emitti poſſe, quæ reſponſio elici poteſt ex eodemmet Ariſtotele loco iam citato, vbi dixi, acumen vocis cõſiſtere in validitate mouentis, & velociter moti, vt ſi mouens ſuperet motum, fiat vox acuta, quia celeriter mouetur, ſi verò mouens ſuperetur à moto, fiat vox grauis, quia ſegnius mouetur; & hinc eſt quod animalia aliqua natu minora, vt vituli, grauiorẽ reddant vocem, quia ſpiritus impulſus ſuperat virtutem mouentem, & organa vocis à primordio generationis eorum ſunt ampla, & non augetur virtus impellens, & ſpiritus impulſus, æqua portione, & hæc eſt etiam ratio, quod vox in grauem mutetur, & grauis in acutam, quoniam virtus impellens, & aër impulſus non augentur

æqualiter, cauſſa igitur immediata, & vt dicunt per ſe, vocis acutæ erit fortis, ac ſubitus aëris motus à virtute mouente cum fortitudine; & per oppoſitum cauſſa vocis grauis, debilis, ac tardus aëris motus virtute imbecilliter mouente. Galenus tamen cauſſam grauitatis, & acuminis vocis reiicit dumtaxat in aſperæ arteriæ vocalis inſtrumenti variam ſtructuram, ſiue formam, ita vt vox acuta ex tracheæ arteriæ, ac gutturis anguſtia; grauis verò ex earumdem partium amplitudine, ſeu latitudine fiat. cuius rei euidens argumentum eſt illud, quod cantores cum acutam vocem edere contendunt, vi quadam arteriam comprimunt, anguſtioremque reddunt, quod ſi grauem, guttura retinent, laxantque. Patet etiam hoc in fiſtulis organorum muſicorum, quibus ſacroſancta Eccleſia ad honorem Dei in ſacris ædibus vtitur; vt enim amplitudo earum maior, ita ſonus grauior, quoque anguſtiores fiſtulæ, eo acutior. Eadem autem eſt in natura ratio, cuius imitatione ars. inſtrumenta illa reperit, ex pulmonibus folles, ex arteriis fiſtulas, & ex mirabili laryngis artificio, reliqua; anguſtiam verò arteriæ oriri à frigiditate, latitudinem verò à caliditate, ſtatuit, vbi liceat Leoniceni errorem animaduertere, qui loco aſperæ arteriæ, ſeu gutturis, tranſtulit fauces; cum tamen fauces inter inſtrumenta voci famulantia locum non habeant, vt ſuperius explicauimus. Circa vocis acumen, & grauitatem, Ariſtoteles nonnulla proponit problemata, quæ

cauſſa grauitatis, & acuminis vocis ex Gal. lib. art. med. cap. 69. 1. prorrh. com. 2. tex. 10.

cum

cum ſcitu digna ſint, enucleari ex illius doctrina decreuimus. Et 1. Cur vox acuta maiore ex interuallo, ſiue longius audiatur, cui Ariſtoteles reſpondet, cum vox acuta fiat ex motus velocitate, & illa, quæ feruntur cum maiori violentia, & fortitudine, longius impellantur, propter ingentem in aëre factam impreſſionem; cum vox acuta ratione velocitatis longius prouehatur, ſequitur, vt & longius audiatur: vel dicamus, quod vox, quæ acuta non ſolum eſt, ſed quæ vnà etiam magnitudinem adiunxit, à remotis auditur, nam qui in grandiori ſpatio diſtantes alloquuntur, magnam, & acutam vocem edere conſueuerunt. Porro quod acuta ſit, citò valdeque permeat; quod verò magna, multo ſpatio integra perdurat; neque enim multus aër facilè conſumitur, aut euaneſcit, & ſonus, ſine aëris motione longius audiri nequit. 2. Cur eos, qui acutam, atque elatam vocem edunt, raucedine illico tentari videmus, ratio eſt: quod dum plurimus confertim efflatus ſit ſpiritus, gutturis extrema colliduntur, quare muſculi, qui eas partes mouent ad vocis conformationem, ea commotione, ac labore diſtracti, defluxiones promptè excipiunt, qua ſanè ratione raucedo oritur. 3. Quare plorantes, ac triſtes, vocem emittant acutiorem; gaudentes verò, & ridentes grauiorem: triplicem, ni fallor, huius diuerſitatis cauſſam refert Ariſtoteles. 1. Quoniam plorantes, ac triſtes paucum ſpiritum mouent cum loquuntur, præ

cur vox acuta longius percipiatur. Ariſtot. ſect. 11. probl. q. 47.

cur acutam, & elatam vocem emittentes rauci fiant.

cur plorantes, ac triſtes acutam vocem, gaudentes, & ridentes grauem reddant. ſect. 11. probl. q. 13. & 15.

eorum imbecillitate, cum autem paucior ſpiritus fortius impellatur, quàm multus, hinc fit, vt velocius etiam extra feratur, & proindè vox acuta fiat; Contrà verò qui gaudent, ac rident, multum ſpiritum mouent, quia eorum vires ſunt validæ, qui ſpiritus cum diſpergatur, ac diſſoluatur per totum organum extendendo ſe, & relaxando, non poteſt niſi tardè moueri, & hinc fit vox grauis. 2. Cum plorantibus, ac triſtibus præ frigiditate inſtrumenta vocalia coarctentur, ac tenſiora reddantur, fit vt velociſſimè aer per ipſa feratur, cumq; plorantes, ac triſtes vocem emittant continendo, ne ſpiritus egrediatur ſimul totus, atque congregando, atque in vnum os reducendo fit, vt vox acuta reddatur: ſpiritus ènim cohibitus, & coarctatus velocius egreditur, præcipuè cum per anguſta tranſeat; è conuerſo cũ gaudentibus, & ridentibus præ caliditate vocalia inſtrumenta relaxentur, ac patefiant, vires verò reſoluantur, fit vt non niſi tardè ſpiritus extramitti poſſit. 3. Præterea cũ ridẽtes, & gaudentes emittant ſpiritum calidum, plorantes, ac triſtes frigidum, ſuffocatur enim calor eorũ circa thoracem contractus, & quaſi extinguitur, & ſpiritus refrigeratur, ſed qui calidum emittũt, multum etiam aerem mouent, qui cum tardè moueatur, facit grauiorem vocem: qui verò frigidum emittunt, paucum aerẽ mouent, qui velocius delatus acutiorem facit vocem. 4. Propter quid exercentes ſe acriter vocem grauem, valdè verò perterriti, & ægri acutam reddãt, primi ratio eſt, quia calor

Cur exercentes ſe vocẽ grauem ter-

lor fertur ad ſuperiores partes, quemadmodum in his, qui verecundantur, in quibus calor mouetur verſus faciem, quæ rubore ſuffunditur, ideò Comicus dixit, erubuit, ſalua res eſt, qui calor aliquando humiditates in partibus ſpiritualib. exiſtentes, in craſſumque flatum vertentes, fit vt incraſſatus ſpiritus ſegnius moueatur, cuius ratione vox grauis emittitur. Secundi cauſſa eſt retroceſſio caloris à corde, qui ſecedit ad inferiores partes, ex quo frigeſiunt loca propè cor, organa ſpiritualia arctantur, & facultas ob imminutionem caloris imbecillis facta, niſi modicum aeris mouere poteſt, qui cùm per anguſtiores vias, ac celerius impellatur, facit acutam vocem. *refecti et agri acutam redd. dant, ſect. 11. Prob. q. 32. & 53.*

5. Quare pueri, minores natu, mulieres, decrepiti, ac ſpadones vocem acutam, iuuenes verò, ac natu maiores graues edant; cum pueri, ac cæteri relati virtutem vocalem, debilem habeât, & vocalia inſtrumenta arctiora, propter quæ pauciorem attrahentes ſpiritũ ipſum recta velocior pellunt, fit vt vocem acutam emittant, iuuenes verò cum virtutem habeant validiorem, inſtrumentaque vocalia magis lata, & aperta, vberiorem etiam ſpiritus copiam attrahũt, qui cum propter multitudinem, & inſtrumentorum latitudinem remiſſius expellatur, vox fit grauior. excipienda verò eſt ſpecies bouina, cuius minores natu, vituli videlicet, & inter maiores natu fœminæ vaccę ſcilicet grauiorem emittunt vocẽ, quàm grandiores natu, ac maſculi; cum enim tauri, ac perfecti boues ſint ſicc[i]oris temperamẽti, ratione ca- *Cur minores natu mulieres, ſpadones acutã vocem, iuuenes, ac natu maiores grauẽ edant. Ariſt. l. 7. de hiſt. animal. c. 1 & ſect. 11. Prob. q. 14. & 24. Hipp. 1. prorh. com. 2. tex. 10. ſect. 11. Prob. q. 24. V. de gener. animal. c. 7.*

ius inſtrumenta vocalia anguſtiora habent, & minus aëris attrahunt, qui præ robore virtutis celerius impulſus vocem acutam facit; cum autem vituli, & uaccæ habeant temperamentum humidum, ex quo inſtrumenta vocalia fiunt laxiora, & latiora, & multum aëris attrahũt, quem cum velociter præ eorum imbecillitate impellere nõ poſſint, neceſſario vocem grauiorẽ edunt. Multa alia problem. proponit Ariſt. circa acumẽ, & grauitatem vocis, quibus facilè reſpõdere poterimus, ſumptis ante ſcriptis fundamentis.

ſect. 11. problem. q. 56. 21. 19. 18. 17. 61. ſect 19. q. 11. 47.

De voce magna, ac parua, & cauſſis eius.

CAP. X.

VOx magna illa eſt dicenda, quæ ſimpliciter multum mouet auditum; parua verò quæ ſimpliciter parum; Ariſtotelis opinio fuit, vocem magnã ex multo, ac copioſo ſpiritu, ſeu ex multa reſpiratione fieri; paruam verò ab exiguo, ſeu tenui ſpiritu, aut modica reſpiratione. ideò in ſect. 11. problem. ſcripſit, magnam tum oriri vocem, cum aëris multum agitatur, & in 5. de generat. animal. magnitudinem vocis, ac paruitatem multitudine eius, quod mouetur, & paruitate, definiendam eſſe. hanc de cauſſa magnitudinis, ac paruitatis vocis ſentẽtiam Ariſt. mutuatus eſt ab antiquiſſimo ſene Hippocrate, qui magnitudinẽ vocis multitudini aëris attribuit; ſcribit enim quibus plurimum calidum ineſt, ſunt magna voce; affert rationem, quia plurimus eſt frigidus aër; ex duobus

q. 3. cap. 7. 6. epid. ſect 4. com. 24.

duobus autem magnis, magna, & quæ innaſcuntur, fiunt; qui enim plurimum habent calidi, ob vſum auctum trahunt multum aëris frigidi; duobus autem his exiſtentibus calore, ſcilicet multo, & aëre, qui inſpiratur, neceſſe eſt vocem fieri magnam, cuius materia eſt aër, & effectrix cauſſa facultas, quæ in calidis valere ſolet; & hanc Hippocratis ſententiam explicat Ariſt. ſuperiori citato problemate, vbi quærens, cur qui habent temperamentum calidum, vocem magnam emittant: reſpondet eo quod multum aëris feruidi in eis ineſſe, opus ſit; vis enim caloris facilè ad ſe ſpiritum tradit. eoque magis id agit, quo amplior eſt. Plato in Timæo arbitratur magnam vocem ex multo; paruam autem ex paruo motu prouenire; Auicenna exiſtimat vocis magnitudinem, & paruitatem à caliditate, & frigiditate fieri. Galenus tamen diuerſam habuit ab his omnibus opinionem, magnitudinem nempe vocis fieri ex latitudine aſperæ arteriæ, & vehementiori efflatione, ita vt ſi cum his etiam latitudo thoracis cõiungatur, non ſolum ingentem vocem homines edere poſſe, ſed etiam diutiſſimè vociferari, vt præcones, cum pedem vocatum canunt, efficere conſueuerunt: paruitatem verò vocis à cõtrariis oriri cauſſis, improbãs magnitudinem vocis, immediate à caliditate fieri, quoniam quam plures ſunt homines, qui quamuis natura ſint calidi, magnam tamen vocem emittere non poſſunt, cum ex vitio formatricis virtutis, vel ex deffectu materiæ, cordis proportionem pulmonis

lo.3.trac. 2.c.1.

6.epid. ſec.4. com.24. & li.art. med.c.66

magnitudo non conſequatur, nec iſtis aſperæ arteriæ magnitudo, & huic laryngis reſpondeat, nam ſi ſemper, & omnino ad proportionē magnitudinis cordis thorax auctus eſſet, & nunquam praua figuratio accideret, percalidi homines non plerunque, ſed ſemper magnam ederent vocem; conſpicitur autem in diſſectionibus animalium proportionem non exquiſitè ſeruatam, ſed in huiuſmodi partibus aliquod pauxillum excedere, aliquod è cõtrario deficere inuenitur, ita vt verum ſit, quod qui vocem magnam edunt, omnes natura calidi ſint, ſed non omnes, qui natura calidi ſunt, vocem magnam emittere poſſint; nõ enim ſemper, ac primò ad naturales temperaturas calidas ſequitur magnitudo vocis, quia magnitudo vocis primum, ac ſtatim inſtrumenti amplitudinem arguit, & validam expirãdi facultatem, amplitudo verò inſtrumenti, ac robur facultatis, calorem. ſimiliter vocis paruitas meatus anguſtiam protinus oſtendit vna cum impultricis facultatis imbecillitate, meatus verò anguſtia, & facultatis imbecillitas frigus.

Contradictio inter Auic. Plat. Hippoc. Ariſt. & Gal. circa cauſam magnitudinis, & paruitatis vocis.

Præterea Galenus probat cauſſam ab Hippoc. magnitudinis vocis aſſignatam, aëris nempe multitudinem inter cauſſas magnam vocem facientes, neque eſſe ſolam, neque dignitate primam; ſed duntaxat vocis materiam. Cum itaque Auicenna cauſſam magnitudinis vocis caliditati, ac paruitatis frigiditati aſcribat, Plato motus magnitudini, ac paruitati, Hippoc. & Ariſt. copioſo, ac pauco aëri, & Galenus arteriæ latitudini, & anguſtiæ, manifeſtè apparet

paret, hos grauiſſimos, ac præclariſſimos auctores non parum inter ſe hac in re diſſentire, quod tamen à veritate alienum eſſe patebit, ſi cauſſarum variam rationem conſideremus, nam cauſſa immediata, ac propinqua, ac per ſe magnitudinis vocis eſt aſperæ arteriæ, nec non laryngis latitudo vna cum expirationis vehementia, cauſſa verò paruitatis vocis immediata eſt earundem partium anguſtia, vnà cum expirationis imbecillitate; & quoniã harum partium magnitudinem, ac paruitatem, impellentiuſque muſculorum robur, & infirmitatem efficit caloris natiui exuberantia, ac inopia, ſequitur calorem natiuum eſſe cauſſam magnitudinis, ac paruitatis vocis, ſed mediatam, ac remotam, & quoquo pacto per accidens, dum ratione ipſius vocalia inſtrumenta in illorum generatione ampliantur, vel anguſtantur; proprium enim munus caloris eſt dilatare, frigoris verò cõſtringere. Plato quidem eandem Galeni cauſſam retulit magnitudinis, ac paruitatis vocis motus, nempe magnitudinem, ac paruitatem, quem expirationis vehẽemtiam, & remiſſionem Galenus appellat, ſed non ex toto; non enim ſufficit expirationis vehementia, ac remiſſio ad vocem magnam, ac paruam emittendam, ſed opus eſt viarum laxitate, & aſtrictione, & cum calori inſigni, & amplitudini viarum cumpetat valida attractio, & multa receptio, imminuto verò calori imbecillis attractio, paucique receptio, ſequitur cum cauſſa magnitudinis, ac paruitatis vocis ſit caliditas, vel frigiditas

natiui caloris, laxitaſque & anguſtia viarum, vt ex conſequenti etiam earũdem cauſſa ſit copioſus, vel paucus attractus ſpiritus, ſicuti cum Hippocrate aſſeruit Ariſt. Quibus ita conſtitutis manifeſta erit cauſſa, cur illi, quibus magna vox eſt, audaces natura, & iracũdi exiſtant; quoniam circa præcordia plurimum caloris obtinent; magnã enim vocem fieri ex vehementiori efflatione, ac viarum laxitate, diximuſque ab inſigni caliditate fieri neceſſe eſt. Quod igitur iratis aliquando iræ nimirũ impetu accidit, id in iis per naturã fit; extollũt enim irati prę calore, qui circa cor efferuet vocem, timidi contrà prę frigiditate ſubmittunt.

Cur magnam vocem habẽtes audaces, & iracundi ſint.

De voce leni, & aſpera, & de cauſſis eius.

Cap. XI.

Vt præcipuarum differẽtiarum vocis ſermonem inceptũ iam abſoluamus, de voce leni, & aſpera erit agendũ; vox igitur lenis eſt illa, quæ auditum demulcet, delectationeq; afficit ipſum, quoniam leuiter, & æqualiter, ſeu vniformiter mouet ipſum; vox autem aſpera eſt ea, quæ auditum contriſtat, moleſtiaq; afficit, quia non leuiter, & æqualiter, imò difformiter mouet ipſum: ideò Galenus ſcribit, aſperrimam, celerrimamq; vocem auditui infeſtiſſimam eſſe, ſicut è conuerſo leniſſima, tardiſſimaque vox iucundiſſima eſt. Cauſſã lenitatis, & aſperitatis Plato aſcribit motui æquali, & inæquali; Ariſtoteles verò, & Galenus opinantur lenitatem, & aſperitatẽ vocis conſequi

lib. 4. de loc. aff. cap. 6. in Timæo. li. 5. de gen. animal. cap. 7. lib. art. med. c. 68.

ſequi tracheæ arteriæ lenitatem, & aſperitatem, ſeu æqualitatem,& inæqualitatē, aſperitas enim ſolidorum corporum eſt inęqualitas quędam ſecundum ſuperficiem ſitus, & lenitas eſt æquabilitas illius:nā ſi partes ſuperficiei æqualem ſitum ſecundum depreſſionem,& elationem habeant, lenis ſuperficies eſt: quod ſi inæqualem,aſpera, ſicut perbellè declarat Galenus. Ideo exaſperata, & inæqualis arteria aſperam, leuigata verò & æqualis lenem vocem emittit, nam cum trachea arteria gutturi vocem præparet, cum à pulmone per hanc ſpiritus impellitur, ſi leuigata arteriæ membrana erit,ſine impedimento ad guttur, vſque proprium vocis organum permeans, vocem lenem,ac ſuauem efficit; quod ſi membrana erit exaſperata, ſpiritus in partes inæqualitatis eminentiores,impulſus ſonum varium,inæqualemque facit,prout partes illæ, tum magnitudine inæquales,tum mollitie, ac duritie diſſimiles ſunt. Hanc verò vocis inæqualitatem aſperitatem dicimus non aliter, atque ſonum, qui ex lima, & ferro eliditur; ob limæ enim inæqualitatem ferrum inæqualiter percutientis, inæqualis, aſperque ſonus redditur magis, ac minus, pro limæ maiore minoreuè inæqualitate. Et quamuis Galenus libro art.med.dixerit, vocem aſperam, & lenem conſequi arteriæ aſperitatem, & lenitatem, in primo epidem. tamen non ſolum ob arteriæ tracheæ, verum etiam, & ob aliorum vocis organorum aſperitatem, & lenitatem fieri ſcripſit,quæ organa volens manifeſtare, ait: *com.2. tex.78.*

organa voco, per quæ ſpiritus redditus vox efficitur: hæc ſunt aſpera arteria, guttur, fauces, veluti ſpiritus plectrum, per ipſas per tranſeuntis, vbi exiſtimo interpretem erraſſe, qui loco gargareonis fauces poſuit: nam vt ſuperius diximus fauces ad vocem edendam nihil præſtant; cum tamen experiẽtia compertum ſit, gargareone vulnerato, vel vlcerato, vel mutilato, & poſtea ſanato vocem aſperam emitti ob partium inæqualitatem, & hanc inter alias cauſſas aſperæ vocis retulit ipſe Auicenna. accedit quod Galenus alibi gargareonem vocis plectrum, & non fauces nuncupauit. Cauſſa aſperitatis vocalium inſtrumentorum ex Galeno eſt ſiccitas ipſorum, cauſſa leuitatis moderata illorum temperatura, vt nullus ſit in ſicco, & humido exceſſus. Cum autem aſperitas fiat ab inæqualitate duri corporis, arteriam duram, ſimilarium partium, ex quibus cõſtat, ſiccitas facit, inæqualem verò diſperſæ in eiſdem humiditatis defectus, ſiccitatem verò, & humilitatis defectum facit cùm caliditas, tum frigiditas; diuerſa tamẽ ratione. prętereà immoderata Venus, immodicæ vigiliæ, & alia vim multum inaniendi, & exiccandi habentia, & hanc cauſſam inæqualitatis arteriæ vti magis frequentem attulit Galenus; diuerſam tamẽ, & huic ferè oppoſitam attulit Ariſt. cauſſam, cum videlicet aliquid humoris continetur, ſeu infixum eſt in arteria trachea, qui inæqualem reddere arteriam aptus eſt, ideò vox rauca ob humoris redundantiam, vt voluit Turiſanus, eſt de genere aſperæ, vel è conuer-

in 10.3. tr. 4. c. 3.

lib. art. med. cap. 68. 1. epid. com. 2. teſt. 78.

lib. 5. de gen. animal.

cõuerſo, ſicut arbitratur Nicolus, vocis aſperitas eſt quædam ſpecies raucedinis. Hinc eſt, quod Ariſtoteles hanc ſolam aſperitatis vocis cauſſam attendens protulit hominem, qui noctu vigilauerit, mane aſperam edere vocem, quia ob cruditatem ventriculi, non ſolum totum corpus, verum & aſpera arteria larynxque humore redundat, ſicut manifeſtè apparet in facientibus nocte excubias, præſertim inſuetis, & hyeme.

Noctu vigilans, manè aſperã edit vocem *ſect.11. probl. q.11.*

Cur verò adoleſcẽruli, cum primum ex ephebis exceſſere, vocem aſperam emittant, quæ poſtmodum procedente tempore miteſcit. Quemadmodum in tactu ea aſpera ſunt, atque horrorem contactu incutiunt, quæ partes ſuas inæquales, & ſibi inuicem ſubſultantes habent. Ita vox adoleſcentulorum aſpera euadit, & auditum offendit, eo quod inæqualitatem quandam, ex concurſione extremorum obtinent, dum enim vox ex acuta in grauem permutatur, media quidem vocis natura gignitur; hoc autem ex extremis ipſis conflata acuta eſſe deſinit, neque adhuc grauitatis notas præ ſe fert manifeſtas. Porrò quod illo primum tempore huiuſmodi vocis mutatio fiat, caloris efferueſcentia in cauſa eſt, à quo nimirum, & arteria plus diſtendi poteſt, & plus aëris dimoueri, ac interim nondum valet in extremum alterum vocem traducere. Talem itaque vocem emittunt, qualem hirci, cum præſertim ad coitum cõcitantur.

Cur adoleſcentes primùm vocem aſperam emittũt, & poſtea lenem.

Nec ſine cauſſa ab omnibus præceptum eſt, vt ſcribit Fabius, vt parcatur maximè voci in illo à pueritia in adoleſcentiam tranſitu, quia natura-

lib.11.c.8.

liter impeditur, hoc autem à calore fieri improbat Fabius, eo quod in aliis maior ſit, ſed propter humorem potius; nam ætas illa turgeſcit, & nates, ac pectus eo maxime tempore tument, atque omnia velut germinant, eo quod ſunt tenera & iniuriæ obnoxia. & hæc de differentiis naturalibus, ſeu eſſentialibus vocis dicta ſufficiant, nimirum prout à cauſſis naturalibus fiunt.

De cauſſis vocum præternaturalium, & accidentalium, & primo de cauſsis longæ, & breuis.

Cap. XII.

Multo plures ſunt vocum differentiæ accidentales, ac præter naturam, quæ proportione reſpondent naturalibus differentiis, & ab aliquo fiunt affectu, ita vt voces aliquæ poſſint eſſe naturales, & præter naturam, vt vox rauca cum arteriæ ex natura aliqua inſit humiditas, naturalis dicitur, cum autem ex morbo humectatur, præternaturalis. ab humida enim intẽperie tam naturali, quàm præternaturali raucedo fieri poteſt eadem ratione vox aſpera, cum ab arteriæ aſperitate fiat; aſperitas verò hæc à ſiccitate tum naturali, cùm præter naturam proueniat. vocis aſperæ alia erit naturalis, & alia præter naturalis, & eadem eſt reliquarum differentiarum ratio. Inter eas verò differentias, quæ ad naturales reduci poſſunt, vel proportione reſpondent, ſunt longæ, ac breues voces, quæ ita dicuntur à tempore,

Vox rauca naturalis ac præternaturalis.

Vox aſpera naturalis, ac præternaturalis.

De longa, ac breui voce.

pore, quo menſurantur. longa enim vox dicitur, quæ duo tempora in pronunciatione depoſcit: breuis verò quæ vno tantum contenta eſt; quædam ſiquidem voces ſunt, quarum pronunciatio longius protenditur, & hæ longæ dicuntur, vt Mater, fama, muſa: quædam quorum pronuntiatio breuior eſt, vt Pater, pius. & illæ duo requirunt tempora, hæ, vnum; quare illas quaſi vocalibus geminatis proferimus, vt Maater, & Maauſa, faama, has verò vt ſimplices. & vt ſcribit Quintilianus veteres huiuſmodi longas geminis vſque ad Actii tempora vocalibus ſcripſerunt. Quare vocis longitudo erit extenſio æqualis vocis, quæ duo tempora includit, breuitas vero oppoſita magnitudo. Breuitatis vocis cauſſam voluit Auicenna eſſe reſpirationis breuitatem, & longitudinis, reſpirationis longitudinem, breuitas autem reſpirationis eſt, cum tempus attractionis & expulſionis aeris in inſpiratione, & exſpiratione breuius eſt, quàm in naturali reſpiratione fit, vel propter imbecillitatem virtutis, quæ non ſufficit ſimul conuenientem attrahere, & expellere ſpiritum, quare velocius attrahit, & expellit ſupplens in velocitate, quod in magnitudine defuit, vel propter neceſſitatem velocitatis motus reſpirationis. cum autem eadem ſit materia vocis, & reſpirationis expulſus nempè aer, & quaſi idem motus iſtius aeris à pulmone ad laryngem, niſi quod in voce additur repercuſſio ad arteriam breuiori facta reſpiratione,

lib. 1. inſt. orat. c. 6.

lib. 3. f. 10. tr. 2. ca.

li.3. cont. & vox breuior euadit, hinc eſt quod ſcripſit Raſis breuem reſpirationem cantantibus nocuuam eſſe, & longam, illis iuuamentum præſtare.

De voce dura, & molli; de voce conſtanti, & inconſtanti; de voce gracili, & exili; de voce ſubtili, & craſſa.

Cap. XIII.

INter alias accidentales vocis differentias, eſt vox dura, ſeu rigida, mollis, ſeu flexibilis. dura vox eſt, quæ violenter auditum ferit; difficulter enim mouetur, & cum maxima fertur vi; mollis verò, quæ nulla vi ad auditum peruenit. Dura autem vox fit ex duritie vocalis inſtrumenti; difficile enim receptum ſpiritum diſpēſare, & emittere poteſt; mollis verò ex mollitudine vocalis organi, ideò facilè ſpiritum receptum diſpenſare, & emittere poteſt. Duram autem dici vocem per metaphoram, ſicut & quam plurima alia ſcribit Galenus. Inter vocis differentias, numeratur etiā vocis conſtantia, ſeu firmitas, & eiuſdem inconſtantia, ſeu infirmitas. inconſtantia vocis priuatio cōtinuationis eiuſdem eſt, & crepidatio quædam, quam parit loquentis incontinuando ſpiritu impotentia; conſtantia verò, & firmitudo oppoſitus habitus. Vox gracilis, & exilis differunt inter ſe, nec vna, & eadem eſt vox: & quamuis Cicero Ichnophonos lingua hæſitātes nominet; Ichnophoni tamen, ſeu Iſchnophoni ex Galeno appel-

Ariſt. 5. de gener. animal. cap. 7.

lib. 3. de differ. pul. c. 7.

li. I. epid. com. 2. tex. 78.

appellãtur illi, qui gracilem, ſeu tenuem habent vocem, quæ gracilitas fit propter muſculorum guttur mouẽtium innatum vitium, eodem Galeno teſte, cùm videlicet à principio muſculi illi, deteriorem figuram conſecuti ſunt; vel ex eorumdem, aut ſuperiorũ thoracis reſolutione, vt Aetius exiſtimat; leptophani verò, ſeu yſophani dicuntur, qui tenuem, ſeu exilem vocem habent, vt eunuchi, mulieres, ac pueri; quæ quidem exilitas fit ob anguſtiam vocalium inſtrumentorum; vtrique tamen, in prima conformatione contrahũt ea vitia ob caloris innati infirmitatem; vt arbitratur Galenus. Vox gracilis, vel exilis fortaſſe eſt illa, quam Auicenna vocat ſubtilem; & ex virtutis imbecillitate fieri aſſerit, quam inducere ait vigilias, laſſitudines ex immodico exercitio, euacuationes excedẽtes; vigiliæ enim virtutem motricem imbecillem reddentes, fit, vt eius actiones etiam leuiter fiant, vt eſt expiratio, & vox ſicut laſſitudo, non ſolum corporis, ſed etiam organorum vocis eandem imbecillitatem pariunt; quia ex vtraque cauſſa excellens fit ſpiritus animalis reſolutio: Quælibet quoque euacuatio immoderata ſanguinis, vel aliorum humorum, vel per vomitum, vel per ſeceſſum, aut per ambitum totius corporis facta, ſiue ſponte, ſiue ab arte, virtutem ſatis ſuperque inualidam reddere poteſt; addit his cauſſis Auicẽna etiam, ſomni excellum pręcipuè poſt cibum, ex quo cum plures adgenerentur cruditates, ipſæ per viam ſuffocationis facere poſſunt virtutis imbecillitatẽ; vel ex ſomno

ſer. 6. c. 32.

lib. 3. f. 10. tr. 2. c. 8.

poſt cibum vox fit ſubtilis, quoniam ex eo membra motui inſeruientia laxantur, & emolliuntur, & torpida fiunt, licet tamen ſuſpicari textum Auicennæ eſſe corruptum, quia ſi conferatur cum his, quæ dicuntur à Raſi, nullam facit de hac cauſſa mentionem, ſed ſolis vigiliis, & dormiendi impotentiæ ſubtilitatis vocis cauſſam aſcribit; nos tamen dicere poſſumus cum Auicēna, ſomnum facere vocem ſubtilem propriè poſt cibum digeſtum, & vacuo ventriculo, quia tunc ſomnus habet vim exiccandi, ex quo virtus infirmatur, & vox ſubtilis redditur; aut dicamus Auicennam haud ſcripſiſſe ſomnum poſt cibum facere ſubtilem vocem; ſed cantilenam quandam, quæ fit cum frequenti gutturis motione, propriè poſt cibum, quod intellexit per verbum alternum. Voci ſubtili oppoſitam eſſe craſſam idem Auicenna teſtatur, quam vt aliqui volunt, conturbatam etiam nūcupat, & magnam, ac grauem eſſe vocem ſcribit Gentilis, cuius cauſſa eſt dilatatio, ſeu laxatio vocalium inſtrumentorum, & arteriæ potiſſimum facta, vel à nimia, & cōtinua ventriculi repletione, vel ex frequenti, ac vehementi vociferatione, aut etiam exercitatione immodica exufflationis in fiſtulis, & potiſſimum in buccinis.

lib. 3. cōt. tr. 2. c. 2.

De Voce tenebroſa, de tremula: de clara, & ſonora, de parua, & obſcura.

CAP. XIIII.

VOx tenebroſa, vel conturbata, ſeu turbida, vt teſtatur Auicenna, illa eſt, quæ ſimilis eſt ſonitui, quem edit plumbum ex vnius laminæ cum altera attritione, obſcurum nempè, quem caſſum dicunt; fit autem huiuſmodi vox ratione humoris admodum craſſi, vt eſt pituita vitrea, ac viſcida, quæ ſpiritus inſtrumenta occupat, aut ex inciſione gargareonis, vt arbitratur Raſis. *cap. 9.* *lib. 6. cōt.*

Vox tremula vt ex Ariſtot. & Auicenna colligi poteſt, vt plurimum ex virtutis imbecillitate, ſeu ex inopia caloris innati, ortum ducit, imbecilliter enim mouente facultate inæqualiter, ac diſſolutoriè tranſcurrit ſpiritus, ex quo fit Vox tremula, vt in quibuſdam acutis calidiſſimis, ac ſicciſſimis morbis euenire ſolet. Nonnunquam fit vox tremula ex quadam neruorum conuulſione, vel breuitate, aut aſtrictione, vt liberè non moueant, ſed cum quadam veluti trepidatione vox etiam tremula emittitur, vbi copioſus humor, vel intrinſecus ſeſe in muſculos vocales inſinuauerit, & quominus liberè moueantur, impedimento eſt: vox enim cōtremiſcit inſtrumētis præ mollitudine titubantibus, ac vacillantib. fieri etiam poteſt tremula vox ex peculiari laryngis imbecillitate vel ex ſuperflua cerebri, ac neruorum humiditate, propter quā etiā ebrii balbutiunt, & vocē quandā tremulā edunt, quoniā in ipſis cerebrū nō ſolū multa humiditate madeſcit, ſed etiā præ copia grauatur, & opprimitur. Quocirca vſu venit, vt quibus tremula Vox eſt, hi vel *ſect. 11. prob. q. 31. 63. et ſect. 27. q. 6. 7.*

cerebrum humidius habeant, vel linguam, & ſummam arteriam, vel vtrumque. Quæritur, cur qui metuūt, voce manibus, ac labio inferiori tremant? reſpondet Ariſt. primò vniuerſaliter, quoniam timor eſt paſſio quædam, in qua deficit calor in partibus ſuperioribus, quæ partes calore, ac ſpiritū quoquo pacto deſtitutæ, non poſſunt inſtrumentis vocalibus, labris, ac manibus facultatem tranſmittere, vnde tremere coguntur. ſecundo Ariſt. peculiarem affert rationem tremoris vocis ex timore, nam cùm vox initium habeat à thorace, ipſius muſculis, tam dilatantibus, quàm coarctantibus tremore correptis, vox etiã tremit, in timore autem propter retractionem caloris, ac ſpirituum refrigerato thorace, illius muſculi contremiſcunt.

ſect. 27. Prob. 9. 6. & 7.

De Voce clara, & ſonora.

Vox clara, & canora fit ex arteriæ, ac pulmonū moderata ſiccitate, quod manifeſtè percipitur in quibuſdam inſtrumentis muſicis, quæ fabricata ex ligno inciſo in plenilunio ob illius humiditatem, vocem ſonoram reddere nō poſſunt, & hac ratione vox poſt cibum, ac potum obſcurior, ſeu minus clara, & ieiuno vētriculo magis clara editur: & corpora ſicca clariorem habent vocem; impoſſibile enim exiſtimauit Galenus multa redundāte humiditate vocem claram emitti poſſe.

lib. 7. de cōp. med. loc. c. 1.

De Voce parua & obſcura.

Vox parua, & obſcura efficitur, ſi imbecillæ fuerint vires muſculorum guttur mouentium, aut ob ſuam, vel neruorum ipſos mouentium affectionem.

Gal. li. 4. de loc. aff. c. 6.

De voce

De voce abrupta, de tarda, de clangoſa, de luctuoſa.

CAP. XV.

Hippocrates, quiſquiſuè alius fuerit auctor in libro de victus ratione in morbis acutis, meminit de voce abrupta, quam in libro de Coacis prænotionibus effractam vocat, eo quod media intercidatur; hanc ex affecto gutture proficiſci memoriæ prodidit Galenus, & quidam doctiſſimus vir, ex imbecillitate mouētis poteſtatis, & inſtrumentorum, quæ materiam vocis excludūt, & ipſam efformant, & materiæ quoquè inopia contingere poſſe ſcribit; quomodo enim in follibus, quæ muſica organa ſpiritu implent, ſi imbecillis ſit ille, qui folles mouet, ſonus interrumpitur: eadem ratione, ſi ea virtus, quæ thoracem, & ex eo pulmonem mouet ad efflationem, quæ materia vocis eſt, imbecilla ſubſiſtat, neque curſum ſuum ſpiritus teneat, vox refringitur, ex quo refracta, ſeu effracta, vel abrupta appellatur. Doctiſſimus Braſaula aſſerit vocem abruptam, fieri ex praua tendonum ceruicis affectione, eo quod tendones illi ad vocis generationem, & ſpiritus attractionem vſui ſint; qua autem ratione hi tendones inſeruiant vocis emiſſioni, & ſpiritus attractioni, percipere minimè poſſumus, ni fortaſſe hi tendones muſculis laryngis inſerātur, quibus tamen laryngem non egere credimus. Vocis tarditatem fieri ex diffuſione praui humoris in vocalia inſtrumenta, & in exortam ſpinalis

lib. 4. com. 33.

com. 33.

lib. 4. de Vict. rat. in acut. com. 33.

De Voce tarda.

lib. Coac. pranot. medullæ literarum monumentis Hipp. prodidit, cùm enim prauus quiſpiam humor neruos voci famulantes, & præſertim recurrentem diluit, aut in muſculos thoracis, & præſertim intercoſtales decumbit, facit vocis tarditatem; impeditur enim ſpiritus animalis exitus, & facultas opprimitur, quæ motus thoracis, & exufflationis eſt cauſſa.

De Voce clang. De voce clãgoſa, çùm in Coacis prænotionibus, tum in Prorrheticis Hipp. verba fecit; eſt autem vox clangoſa ſub rauca, ſed acuta fere, ac ſonora, grauis aliquando. ſimilis refertur, ſi quis in fictile ſiccũ, aut çauum ædificiũ caput immittat, atque inde loquatur, vulgus, redeuntes animas defunctorum mortuorũ, ea voce vanè confingit. Hanc vocem emittunt animalia omnia, quæ collum habent admodum longum, & cartilagines ſiccas, cuius generis ſunt grues, de quibus Homerus ait:

Clangore hæ quidem volãt ſupra Oceani fluēta.

lib. 7. de vſu par. cap. 7. 1. prorrh. com. 1. tex. 3. & 17. 3. in 3. epid. cõ. 32. lib. art. med. Cauſſa huius vocis, vt ſcriptum reliquit pluribus in locis Galenus, eſt vehemens ariditas, ſeu ſiccitas vocalium inſtrumentorũ, quę ad laryngem, & arteriam pertinent, & præſertim ſiccitas tunicæ interioris aſperæ arteriæ, quæ naturaliter leui humiditare rigatur, & quaſi æquatur, nã cum ex aduētitiis tēperaturis, vt docuit Galenus, nõ mutentur arteriæ, vel gutturis naturalis amplitudo, nec proinde vox, oportet, vt vehemẽs in corpore fiat mutatio, quæ ſiccitate vocem lædat, vt in quibuſdã febrib⁹ ardẽtibus, ac phrenitide fieri ſolet,

De Voce querula. Vox claſthmodes græcis dicta, quã latini plorabun-

rabundam, plorosam, querulã, luctuosam, flebilem, & lugubrem appellant, à maiori quàm clangosa reſiccatione fit, vt in febribus incẽdioſis, ac phrenitide vſu euenire ſolet, quamuis etiam ex virium imbecillitate, nec nõ ex deſtillatione à capite, vt in tabidis ortũ ducere poſſit, ſicut & Galenus luctuoſas reſpirationes fieri optimè declarat: an vera hæc vna, & eadem ſit cum abrupta, vel diuerſa, conſiderandum eſt. *li.6.aph. com.54.*

De voce rauca, vel arteriaca affectione, quæ à græcis branchos dicitur.

CAP. XVI.

CVm inter vocis vitia raucedo frequentius in concionatoribus præſertim fiat, & à quamplurimis cauſſis excitari poſſit, in vltimũ locũ diſtulimus, vt ſeiũctim de hac affectione maiori cũ ſtudio, exactiuſq; agamus. Rauca igitur vox eſt, quę obtuſa, cõpreſſa, ac impedita emittitur, lęſione in mẽbrana exiſtẽte, quæ faucibus, ac gutturi cõmunis eſt: cuius vitii cauſæ aliæ ſunt internę, & aliæ externæ. Inter cauſſas internas facientes raucedinem potiſſima eſt excellẽs humiditas, ſuperficiem vocalium inſtrumentorum madefaciens, ex qua ictus exufflationis retunditur, ſine tamen muſculorum motus impedimento, vt pluribus in locis teſtatũ reliquit Galenus. ſuperfluus humor, quamuis in vniuerſo corpore ob intemperiem potiſſimum frigidã, vel ob plenitudinẽ progigni poſſit, & ad vocalia inſtrumenta tranſmitti, frequentius tamen, & vt plurimũ adgeneratur *Vox rauca quid ſit.* *cauſſa interna.* *lib.3. de ſimp.cau. lib.4. de loc.affec. c.6. lib.1. prorrh. com.3. & com.1.*

in capite, intemperie frigida, aut calida laborante, ex quibus deſtillationes fiunt, quæ poſtea ad inſtrumenta vocalia irruunt. Vocis raucedinem etiam facere poſſe, thoracis ſuppurationem, ac tabem recenſent Galenus, & Aetius; inter cauſſas has internas adnumerantur quamplures vocalium inſtrumentorum affectus, vt tumores, vlcera, intemperieſque nonnullæ. Multa alia genera malorum, vt tuſſis, aſtma, pleuritis, epilepſia, artericam affectionē excitare poſſunt; nam hæc non ſolum facultatem ſpirandi lædunt, verum etiam aliquibus vocalibus inſtrumentis officiunt. His cauſſis auctor libri anatomiæ viuorum, addit gargareonis læſionem, cum ipſe vulneratur, vel inciditur, vel corroditur, & nos teſtari poſſumus, ſæpius vidiſſe ex ipſius inflammatione, magnitudine, & laxatione homines raucos fieri; natura enim hanc carunculam inſtituit, vt voci conformādæ eſſet quaſi plectrum quoddam, & modulatio, aut quod vox in eam impingens reuerberata, magis ſonora redderetur; cum autem hæc pars naturalem excedit quantitatem, vel ab ea recedit, vox inde valdè læditur, quicquid hac in parte dicat Faloppius, alioqui medicus eruditiſſimus, qui nihil voci opitulari hanc partem voluit, innixus fortaſſe Ruffi Epheſii auctoritati, qui ſcripſit columellam nullam magnam vtilitatem afferre, & reciſam nullā corporis actionem vitiare. Aliqui obſeruarunt palatum vitiatum culpatam prorſus efficere vocem, vt in quibuſdam gallica lue affectis euenire experientia comproba-

7. de cōp. med. loc. c. 1. ſer. 8. cap. 51.

proba-

probatum eſt; hanc enim partem ad vocis augmentum conferre ſcripſit Galenus. Inter cauſſas externas potior eſt vehemens exclamatio, ac vociferatio, vt quæ ſimilem inflãmationi circa iam dictam membranam, atque gutturis muſculos, parit affectum, qui ſimilis eſt ei, quæ manibus, cruribus, lumbis, & muſculis accidit, vbi plurimũ laboris ipſi pertulerint, vocabant olim exercitiorum magiſtri, eiuſmodi muſculorũ affectionem laſſitudinem inflammatam: iuxta igitur arteriam intrinſeca particula, aut tunica, à ſpiritu, in magnis vociferationibus extra prolato perculſa in eam inflãmatam affectionem incidit, atque hoc multò magis, ſi ad magnitudinem vocis, acumen quoddam, vel muſculorum laryngis actio læſa, acceſſerit; de hac magna vociferatione, & vehementi exclamatione Dauidem interpretari poſſumus, in perſona Chriſti Saluatoris noſtri dicẽtem, laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; clamabat enim Chriſtus ad Patrem, in paſſionum anguſtia poſitus. Frigidum quoque, ac inſuetum inſpiratum aërem raucedinem vocis parere poſſe, vna cum Galeno, Aetius, & Paulus exiſtimarunt, & nõnulli ex recentioribus: aërem etiam valdè ſiccum, vel pluuioſum, aut vẽtoſum, idem efficere, ſcripſerunt. Multo magis vero, vocem corrumpere poteſt aër venenatus, vel maligna qualitate imbutus, vt euenit his aliquando qui metallis eruendis dant operam, vel qui ſpiritum è ſpeluncis, vel ab aliquo animante venenoſo emanantem excipiunt. Inter has procatarticas

Cauſſa externa.

lib. 7. de cõp. med. loc. ſer. 8. c. 51. lib. 3. cap. 28.

cauſſas recēſet Aetius, plurimam, & inſuetam vini meracioris potationē; aliqui verò ex recētioribus potum addunt aquæ admodū frigidæ vſum ciborum, ac potuum, qui acres, ſalſi, ac pontici ſint, ſomnum immodicū præcipuè ieiuno vētriculo factū, immodicā cibi, ac potus repletionē, & eorumdē excedētem abſtinentiā, exercitium, præterea immoderatum excedenteſq; vigilias, ex quibus cū imbecillis reddatur facultas cōcoctrix, multi gignuntur crudi humores, qui ad aſperā arteriā delati vocē aſperam, & raucam faciunt: cum his etiam cauſſis cōnumerari debent caſus, ictus fortis, ac percuſſio, duræq; rei obuiatio, vulnus, fumus, abundās puluis à vēto inſufflatus, & eleuatus, & ipſemet vētus, vel auſtrinus colliquans, vel aquilo exprimēs. Circa raucedinis cauſſas difficillimū, ac ſimul pulcherrimum probl. occurrit diſſoluendū, cur videlicet illos, quos obuios lupi aſpexerint, illico raucedine tētari, vel voce priuari cōtingat, quod fuit relatū à Plinio, ac Solino, q ſcribunt in Italia lupos eſſe, qui cū cæteris ſimiles nō ſint, viſum etiā noxium habere, vocē que homini, quē prius viderint, ad præſens adimere. In vulgi opinione receptū eſt id fieri, vbi hominē à lupo prius inſpici acciderit, quàm homo lupū videat. & Virgilius vulgi opinionem ſectatus dixit: Vox quoq; Moerim iam fugit ipſa, lupi Moerim videre priores: hæc autē opinio antiqua admodū fuit, vt talis ſit lupi natura, vt iis, quos prior aſpexerit, vocem adimat, vel corrumpat; ex quo etiā illud tritiſſimum manauit adagium, lupus eſt in fabula

Cur viſo lupo vox rauca fiat.

Li.8.c.22.

fabula, quo vtimur quoties noſtro ſermoni ſuperuenit is, de quo loquebamur, & nobis ſua pręſentia adimit loquẽdi facultatẽ. quidã pariſienſis medicus arbitratur, hunc effectum, ortum habere à venenata lupi expiratione, quæ perueniẽs ad vocalia inſtrumẽta, ſuam temperiem corrumpit. alii dixerunt lupos noxiis toruorũ oculorum radiis aërem inficere, qui inſpiratus vocalia afficit inſtrumenta, & ad promendam vocem inutilia, vel ægrè diſpoſita reddit. Quorum, & vulgi potiſſimũ opinionẽ probare nõ poſſumus; id enim fabuloſum eſſe ducimus, nec lupus venenato halitu, vel noxiis oculorũ radiis id præſtare poteſt, cum inter animalia venenata, vel ictu, vel halitu, aliauè ratione fundentia locum non habeat, vt apud eos, qui de animalibus rectè ſcripſerunt, legere eſt. Nonnulli alii ex problematibus Ariſtotelis duplicem afferunt reſpõſionem, quod cum lupus habeat cerebrum valdè frigidum, hominis ſpiritus viſiui directi ad eum attrahentes ad thoracem aliquam frigiditatem, vocalia inſtrumenta afficiuntur, quibus læſis, & vox vitiatur, vel aufertur; alia reſponſio coincidit cum illa pariſienſis medici, quòd aër ab inſpiratione lupi inficiatur, qui ab homine attractus raucedinem facit. Quæ quidem reſponſiones non ſunt Ariſtotelis, nec dignæ tanto viro: & quamuis in problematibus ea ſcripſiſſet, admittenda haud ſunt, cum ea quæ ipſe illis in libris memoriæ mandauit, à ſummis viris non recipiantur, tanquam probata, quoniam Ariſtoteles his in libris

Cenſura librorum Ariſt. de probl.

multa in vnum congeſſit, & morte præuentus nõ digeſſit, ex quo bis, ter, & quater, multa repetit, ac diuerſis modis refert: Alii alteram excogitarunt reſponſionem, lupos eſſe adeò voraces, & ſeſe ingurgitare, putridiſque cibis vẽtrem implere, vt nunquam, non ex illorum naribus, ac ore pernicioſus halitus egrediatur, qui aërem paulatim gradatimque inficit, quouſque homines lupum aſpicientes contingat, ex quo vocem eis eripit, ſeu raucam efficit; contra hanc quoque problematis enucleationem multa, ni fallor, obiici poſſunt; quamuis enim lupus vorax ſit animal, frequenter tamẽ caret carnibus, aliiſque cibis ad putredinem paratis, vel actu putridis, quibus explere ſe poſſit, vt fame coactus etiam terra veſcatur, vt tradunt Ariſt. & Plin. & ideò halitus prauos emittere ſemper non poteſt; imo cum natura ſtomachum voracitati congruum tribuerit, ipſe cibos aſſumptos ita cõficit, vt nullus prauus vapor ex eo emanare debeat: & quamuis tetri vaporis ex ore lupi exirent, non poſſunt ita derepente, & in longiori ſpatio aërem inficere, vt hominis lupum videntis vocem vitiare, aut adimere queat; cur verò magis aduerſus hominem dirigantur, quàm in aliam partem, non poterunt diuerſitatis rationem afferre; quis enim eos comitabitur, vt ad hominem, qui lupum videt, perueniant; quomodo flantibus ventis ab eorum impetu diſſipati, & ab excellenti calido, vel frigido cõſumpti ad hominem peruenire, ac illi prauam qualitatem communicare poſſunt. Id igitur à timore

lib. 8. de hiſt. an. c. 5. lib. 8. nat. hiſt. cap. 22.

more proficiſci, indicare debemus; cũ enim homines ſciant, lupos quoſdam vitæ hominum inſidiari, ſi ipſos ex improuiſo aſpicere contingat, & propinquos ipſis animaduertant, maximus incutitur timor, cuius ratione calor, & ſpiritus retrahuntur à partibus ſupernis: ex quo cum vocalia inſtrumenta refrigerata ſint, virtuſque imbecillis euaſerit, vox imminuitur, aut corrumpitur, aut certè tremula redditur. quã rem tribus exemplis illuſtrauit Galenus illorum, qui ad præaltum aliquem præruptumque locũ accedunt, vel conſpectum ſerpentum fugiunt, aut formidabilem magiſtratum adeunt, quibus vox tremẽs, ac parua fit; & ideò à veritate alienum eſſe ducimus, quod ſcripſit Solinus, timorem eſſe incitamentũ vocis, vt non ſolum acuat, ſed etiam ſi nunquam fuerit, extorqueat: quod probat exemplo Aty Crœſi filii, qui cum lateret ad introitum Cyri regis mutus, ad id vſque tempus, ait vi timoris in vocem erupiſſe, & exclamaſſe, parce patri meo Cyre, & te hominem eſſe, vel caſibus diſce noſtris; Atys enim non ratione timoris, ſed maximi amoris, quo patrem ſuuum proſequebatur, & vehementiſſimę clamandi cupiditatis, ſoluta eſt illi lingua; audax enim, & fortis factus eſt, ſic ex amore, & deſiderio tuendi patrem incolumem, ſimulque clamandi, vt partes ſpirituales, & potiſſimũ organa vocalia fuerint adeò excalefacta, & facultas roborata, vt omne impedimentum amiſſæ loquelæ confeſtim ablatum fuerit; vel dicamus, id accidiſſe ex mirabili Dei prouidentia,

lib. 2. de sep. cauſ. cap. 2.

vt hoc miraculo patefaceret, quanti faciat pietatem filiorum, erga ſuos parentes, vt qui ſcilicet ad id tempus mutus ſibi vixerat, ſaluti parentis vocalis fieret.

De voce imminuta, ac deficiente, ſinguliſque eius cauſſis.

Cap. XVII.

Vocem offendi, ſicut & cęteras actiones deprauari nempe, vel imminui, aut deficere, ita manifeſtũ eſt, vt probatione minimè opus ſit; cum autẽ de voce corrupta, ac vitioſa verba fecerimus, reliquum eſt, vt & de aliis læſionibus agamus: & cum actio non lædatur, niſi paribus principibus, vel aliis famulãtibus oblæſis, cõſtat lædi vocem offenſa larynge muſculis ipſius, ac recurrentibus neruis, ac aſpera arteria, prętereą thorace, ac pulmone, quę materiam voci exhibent, adde, & cerebro, ſpinaliq; medulla, à qua nerui ad thoracem perueniunt, & partibus demum affectis omnibus, quæ thoraci incumbũt: offendi verò hæc omni genere morborum poſſunt intemperie, mala compoſitione, & ſolutione continui. Imminuitur itaque, ac intercipitur vox læſis inſtrumentis vocis, vel neruorum principio affecto, vel denegata vocis materia, vel offenſis partibus vocalibus inſtrumentis interuenientibus, ſi ex inſtrumẽtorum offenſa vox imminuatur, aut aboleatur, id erit, vel ratione membranæ laryngis, vel muſculorum ipſam mouentium, vel neruorum,

vorum, qui à cerebro vim ipſis deferunt, præſertim eorum, qui reuerſiui dicuntur, ſi fiat ratione laryngis, id erit potiſſimum, cum eius membrana exuberanti humore repletur, vel madeſcit, vbi ab iis, qui à capite decidunt, humoribus rigatur larynx, principio vox rauca, deinde procedente tempore, parua etiam efficitur, & ſi longius procedat malum, tota amittitur, quippe cum larynge arteria quoque humectatur. Præterea ſi laryngis rimula à tumore aliquo præter naturam, vel anguſtia, & compreſſione, vt in angina gulæ tumoribus, vertebrarum ceruicis ad interiora luxatione aliqua ex parte intercipiatur, vox imminuitur magis, vel minus, pro maiori, vel minori noxa, quod ſi ex toto obſtruatur, vox omnino perit: cum muſculi laryngem claudentes, vel aperientes ex reſolutione, vel inciſione, aut etiam contuſione immobiles reddantur, fiet obmuteſcentia, vbi verò difficulter moueantur, & imbecilles fuerint eorum vires, obſcura, & parua erit vox; quod ſi alii ex laryngem mouentibus muſculis quoquo modo afficiantur, læditur quidem vox, paruum tamen erit vitium, atque ſic affectus, neque obmuteſcet omnino, neque ita exiguam habebit vocem, cuius rei exempla duo affert Galenus ſcitu digna. Quod ſi nerui vocales incidantur, vel diſtrahantur, diuellanturuè, aut nimium refrigerentur, appoſitis in collo frigidis medicamentis, aut exoluantur, vel vehementer tendantur, aut laqueo intercipiantur, aliouè vitio affecti ſint, hominẽ obmu-

lib. 1. de loc. affec. cap. 6.

teſcere neceſſe eſt. Pariter cum aſpera arteria tota inciditur, vox perit, cum nullus ſuperſit ſpiritus, qui ad proprium vocis inſtrumentum tranſmittatur; idem efficit laqueus toti collo circundatus, ſed aliomodo. Quando vox imminuitur, aut aufertur vitio cerebri, id erit, vel à reſolutione facultatis, & extinctione caloris, vt in moribundis; interdum ab oppreſſione humorum, & obſtructione, qui prohibent exitum ſpiritus animalis ad partes inferiores, vel cum venæ cerebri à copia humorum opplentur, vt in apoplexia, caro, epilepſia, catalepſi ac ſyncope cardiaca, aut cũ cerebrum vehementer cõcutitur, & commouetur ob ictum ſuper caput, vel caſum ab alto, præſertim quando quiſpiam ex dorſo terram impegit, ita vt ſpinalis medulla, quæ cerebro eſt adnata patiatur; quicumque enim habent cerebrum ita concuſſum, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri, ſenſumque, ac motum amittere: nam ſpiritus per neruos ad corporis partes inferiores peruenire prohibentur, ac etiam ad ſenſuum inſtrumenta. Nonnunquam obmuteſcentia fit obſtructione in initio ſpinalis medullæ facta, aliquando vox tota non adimitur viciata ſpinali medulla, quæ circa dorſi aliquas vertebras latet.

li. 7. aph. 59.

lib. 11 de ſymp. cauſ. c. 5.

Si fiat aphonia ex materiæ vocalis inopia, quæ eſt exufflatio, id erit ex reſolutione muſculorum intercoſtalium; vox enim emitti non poteſt, niſi vehementer ſpiritus egrediatur, & ſpiritus vehementer egredi haud poteſt, muſculis illis reſolutis, à quibus talis actio completur, vt exemplo probat

probat Galenus cuiuſdam, qui ex caſu ab alto vocem amiſit, nullo in vocalibus inſtrumentis exiſtente vitio, ſed ob carentiam eius, qui ſecundum naturam ad eos peruenire cõſueuit; guttur enim reſolutis intercoſtalibus muſculis efflatum ſpiritum non recipiebat; ſunt enim nonnullæ actiones, quæ ex idonea materia genitæ, ipſam ab aliis partibus præparatam accipiunt; ideò interdum fit, vt nulla exiſtente in actionis inſtrumẽto noxa actionem ipſam perire contingat, defectu ſcilicet materiæ, ex qua fieri conſueuit, ſicut in voce; nam exufflatio materia vocis eſt, & efficiunt eam cõtracto thorace intercoſtales muſculi, quibus nihil agentibus, vt cũ perforati ſunt, materia vocis tota amittitur, & exinde mutũ animãs efficietur, nullo in propriis vocis particulis genito affectu, pariter, ſi incidatur coſtas ſuccingẽs membrana, idq; linea notabili animal ſemiſpirans protinus, & ſemiuocale redditur; ſin autem in altera thoracis parte æquè ſecta fuerit ſpiratio, & vox deficit. Non ſemper tamẽ ex reſolutione, vel inciſione muſculorũ intercoſtalium, vel ex mẽbrana inciſa tota vox adimitur, ſi quidem tanta pars duntaxat naturalis efflationis vociſq; perit, quãta & muſculorum intercoſtalium portio eſt reſoluta, vel eorumdem, aut membranæ ſuccingentis coſtas eſt inciſa, ideò aliquando animalia fiunt ſemiuocalia, vel paruam vocem emittentia, vel omninò voce priuantur. Inſuper huiuſmodi vitia fieri etiam poſſunt ex contuſione, vel ſiccitate neruorum, & muſculorum intercoſtalium, nec

lib. 3. de loc. affec. cap. 1.

nõ ex fractura, vel amiſſione coſtarum thoracis, quæ ſi ſit inſignis, ſequitur obműteſcentia, ſi verò mediocris, vel parua, vox imminuitur. Quandoq; fit aphonia ob ſpirituum paucitatem, ac reſolutionem, aut retractionem, vt in ſyncope, animi deliquiis, maximo timore, vel animi mœrore, vteri ſuffocatione, aut etiam ob recentem quandam exſolutionem, & afflictionem virtutis, aut præcipitem virium lapſum, adducto in conſortiũ mali corde ipſo. Præterea ob venarum interceptionem motu ſpiritus vitalis impedito, vt in apoplexia illa quæ ſubito ſatis generatur cum faciei rubore, oculorum conſtantia, manuum porrectione, ſtridore dentium, & refrigeratione extremorum, quam ſoluere venæ ſectionẽ docuit

li. 4. acu. com. 23. Hippocr. ſolet etiam fieri vocis interceptio ex vitio quarundam aliarum partium, & maximè pulmonis, qui quoties humore, vel ſanie redundat, aut deſtillatione à cerebro repletur, primũ quidẽ vocẽ obſcurari ac rauceſcere, poſteà intercipi cõtingit, agitata materia & vaporib. ſurſum in tabe præſertim elatis ad cerebrũ, vel catarrho præfocante. Tandẽ cauſſa ſilentii poteſt eſſe deprauata voluntas, vt in quadam melancholia, in qua æger

ser. 4. c. 8. non loquitur ſed loqui poteſt. Scribit Aetius infantib. ſuppreſſa aliquo vocẽ intercipi, qua autẽ ratione id fieri poſſit ignoramus, niſi ſit, ꝙ recentis fæcibus maxima copia vaporum ad cerebrũ petant, & exinde oriatur obmuteſcentia.

Circa ſigna vitiorum vocis demonſtratiua nõ immorabimur, cùm ſolo auditui huiuſmodi voces

ces dignoſcantur, & ex illarum tradita diffinitione, ac deſcriptione ſatis ſuperque innoteſcere poſſint; conſulto etiam omittere volumus cauſſarum ſigna, cum à quibuſdam ſatis luculenter explicata ſint, nimis enim in longum protraheremus hanc de voce tractationem.

De quibuſdam vocum præternaturalium præſagiis.

CAP. XVIII.

CVm ex prædictionibus inter cæteras, quas afferunt vtilitates, futuris malis admirabili quadam prouidentia proſpicere, ac de longinquo ipſis occurrere poſſimus, & ægrotantes medicis obtemperare, ſanosque à quibusdam abſtinere moneant, & quoquo pacto cogant, vtiliſſimum huic tractationi fore duximus, aliqua, quæ ad hanc præſagiendi partem attinent, ſcriptis tradere. His, qui magnas, nec non acutas voces emittunt, diu, ac multum vociferant, multa incommoda ſubſequi ſolent, raucedo, capitis repletio, ac deſtillationes vaſorum, pulmonis disruptio, ſanguinisque reiectio, maximè vbi haud præmiſſa pulmonis per præcedentes exclamationes lenitione, violenter clamare conantur. Raucedines à principio ſunt curandæ, nam inueteratæ vnius, vel duorum annorum curationem non admittunt. Cum quis ex morbo aliquo in vocis raucedinem incidit, manifeſtum indicium eſt, cerebrum affectum eſſe, ex quo vocalia organa læduntur, & ſi cùm affectu perſeueret

Gal. li. 4. de loc. aff. c. 8.

raucedo, æger de vita periclitatur; indicat enim cerebri magnam læſionem, à quo vocalia inſtrumenta omnem vim ſuſcipiunt. ſi æſtas ſicca, & aquilonia fuerit, autumnus pluuioſus, & auſtralis, ad hyemem raucedines fiunt, non ſolum ob reſeruatas in eo cauſſas raucedinis, verùm etiam ex propria ipſius temperie, ac conſtitutione; raucedines enim ſunt hyemis morbi peculiares. Quamuis in omni ætate raucedo fieri poſſit, ſeniores tamen raucedine corripi, & rarò, vel nunquam curari ſolent; cum enim multis abundent humidis excrementis, in capite potiſſimum, eorumque vis imbecillis ſit, & natura frigida ea excreméta facilè ad vocalia inſtrumenta confluũt, quibus madefactis, & irrigatis, vox rauca redditur; cum autem partes illæ nimis refrigeratæ ob inopiam caloris, ac imbecilles ſint, ſuperuacaneũ humorem haud abſumere poſſunt, & ob intemperiem nouus perpetuo adgeneretur ſuccus, ſequitur, vt hi curationem, vel maxima cum difficultate admittant. Si difficili ſpirationi vocis raucedo ſuperaccedat, imminet periculũ ægrotanti, ne ſuffocatus interea; nam cum partes ſpiritales, & præſertim aſpera arteria in difficili ſpiratione obſtruantur ſuccedente raucedine, ex quo membrana interior laryngis irrigatur, magis augetur obſtructio, vt cum ratione de ſuffocatione timendum ſit. Raucedo aliudue vocis vitiũ factum ratione gargareonis exciſi, vel palati, & eiuſdem gargareonis corroſi, non admittit curationem. Raucedines, quæ ortum ducũt à cauſſis exter-

Hipp. li. 3. aph. 13. Ariſt. 1. prob. q. 10. Gal. li. 3. aph. cõ. 20.

externis, facilius curantur, quàm, quæ à cauſſis internis fiunt. Raucedines, quæ ob ſuppuratione͂ vel tabem fiunt, mortem futuram indicāt. febris poſt raucedinem, ac grauedinem, accenſa ipſas certius, ac firmius concoquit, vt non iterum ita facilè reuertantur, etiamſi aliquid erroris commiſſum fuerit. *li.6.epid. com.3. tex.10.*

Cum voce tremula alui prȩter rationem ſolutio in iis longiore tempore corpus male habentibus lethale, nam tremula vox in morbis acutis fieri ſolet ex inſigni virtutis imbecillitate, vel ex inopia caloris, quod ſi præter rationem aluus ſolüatur, vires inde magis deiiciuntur, ex quo certius periculum præſagiri poteſt. Vox clangoſa mala eſt. Errores, ſeu vacillationes mentis cum voce clangoſa, linguæque conuulſiones cum tremore, & voces ipſæ obmuteſcentes, mentis indicant alienationem, Effractæ voces à medicamento prauæ, non ſemper ſunt, interdum enim ægri ad tempus afficiuntur, dum ſibi metuunt, & copioſiore purgatione perterrentur, & tunc non ſunt malæ, quod ſi ex nimia purgatione Hypercatharſi dicta cōuulſio muſculorum thoracis, tum aliarum partium ſequatur, & exinde effracta vox, periculum portendit. *Hipp. in coac. prænot.* *Gal. li. 1. prorrh. cō. 2. t. 12.* *Hipp. lib. coac. præ. & 1. pror. cō. 1. t. 19.* *lib. coac. prænot.*

Acuta vox, & lugubris, oculorumque obſcuratio conuulſionem præmonſtrant; cum enim acuta vox ex ariditate fiat, ſi magis augeatur ſiccitas, clangoſa, ac ſtridula exauditur, adhuc magis aucta ſiccitate, lugubris euadit, quæ inchoatam in muſculis thoracis, ac laryngis conuulſionem indicat. *lib. coac. prænot.*

lib. 1. prorrh. com. 1. tex. 23. Aphoniæ cum ſingultu peſſimæ, morbo enim graui accedens alteri, periclitari ægrotantem opus eſt.

lib. coac. pranot. Quibus in febre vox deficit, ſine iudicio tremuli moriuntur, hoc eſt, ſi in acceſſione iudicii vox pereat, nulla facta euacuatione, vel abſceſſu, cum tremore mors ſequitur, quia in certamine caſus grauis ſuperueniens, morbi victoriam ſupra naturam, & caſum lethalem oſtendit. Multa alia præcognoſcere, ac præſagire in morbis ex aphonia docuit Hippocrates in libro coacarum prænotionum, & in libro prorrheticorum, quæ conſulto omittimus, ne eos, qui medicam non profitentur artem, tædio afficiamus.

Finis Libri primi.

BAPTI-

BAPTISTÆ CODRONCHII MEDICI, DE VITIIS VOCIS, LIBER SECVNDVS.

De Vocis conſeruatione, ac præſeruatione.

CAP. I.

MEdici tria præcipua eſſe officia, quà medicus eſt, conſeruare nempe, curare, ac præſeruare, omnibus manifeſtum eſſe cenſemus; conſeruat autem medicus, cum ſtatum naturalem retinere, ac inalteratum rebus non naturalibus, & ſpecie, & gradu ſimilibus ſeruare ſtudet; curat verò, cum ſtatum præter naturam adimit, quoquo modo id fiat, ſiue cauſſarum ablatione, ſeu alteratione, ſeu partium repoſitione, ſeu tandem vnione: præſeruat etiam, cum ſtatum eum, qui periculoſus eſt, ſed non adhuc præter naturam, vel paulo receſſit à naturali, adhibito contrariorum moderato vſu, in melius reuocare nititur. Cum autem nos inſtituerimus non ſolum explicare, quibus rationibus vitioſus vocis ſtatus remoueri, & ad naturalem reſtitui poſſit, verum etiam vox naturalis nullo vitio affecta conſeruari, & inclinans ſtatus ad morbum præſeruari; & conſeruatio, ac præſeruatio dignitate, ac natura ſint curatione præſtantiores, primùm quibus vox ſana, *Medici off. tria.*

vel à ſana parum recedens ſit conſeruanda, ac præſeruanda; poſtremò, qua ratione ægra ſit curanda, erit à nobis agendum. Vniuerſam ſuſtentandæ vocis rationem vnus omnium optimè tradidiſſe M. Fabius Quintilianus viſus eſt; Galenus enim, ac cæteri medici quàm pauciſſima de vocis conſeruatione memoriæ prodiderunt: augentur inquit Fabius, ſicut omnium, ita vocis quoq; bona cura diligenti, nempè adhibito ſtudio, & negligentia, vel inſcitia minuuntur; non eadem tamen cura oratoribus, quæ phonaſcis, qui videlicet magno vocis exercitio vtuntur, conuenit, quamuis multa ſint vtrisque communia, vt eſt firmitas corporis, ne ad ſpadonum, mulierum, & ægrorum exilitatem tenuetur; In concionatoribus ergò noſtris, ſicut Fabius in ſuis oratoribus, ac phonaſcis corporis firmitatem, ac virium robur omni opera conſeruare, vel ſi receſſerit, reuocare oportet, quod ambulatio, vt ipſe teſtatur, frugalitas, veneris abſtinentia, vnctioque præſtabunt, ex ambulatione enim, & exercitio tempeſtiuo, ſequitur durities membrorum; ex mutuo ipſorum attritu, natiui caloris incrementum, & ſpiritus citatior motus, quæ ad corpora firmanda, ac roboranda multum conferunt, ex membrorum enim duritie fit, vt minus ex labore ſtudiorum, & concionum lædantur, & ad ſtrenuè obeundos labores, robuſtiores, firmioresque accedant; ex caloris incremento alimentorum in corpus validior fit attractio, immutatio magis expedita, fœliciorque nutritio, ex ſpiritus

Quib. vox conſeruetur ac præſeruetur.

Ambulatio, & exercitia quanam præſtent cõmoda.

ritus velociori motu, valentiorique impetu, qui per exercitia fieri ſolet, meatus omnes purgantur, & excrementa expelluntur. Quoniam verò digeſtionem per corpus exercitium promouet, atque adiuuat, illud cum perficitur, crudi, inconcoctique cibi, aut ſucci multitudo, vel in ventre, vel in vaſis, contineri non debet, ne in omnem corporis habitum viribus exercitii cruda illa rapiantur; nec exerceri conuenit, ni prius alui, veſicæque excrementa naturalia excreta fuerint. Quatenus verò exercitatio ipſa meatus expurgat, & excrementa propulſat, ex vſu eſt, vt ante ciborum aſſumptionem adhibeatur: labores enim cibos præcedere debere docuit Hippocrates. Tamdiu exercendum eſt quamdiu corpus intumeſcat, & calor in facie floridus appareat, vel vbi ſudor, vel mador quidam calidus cernatur, ſed non ſolum virium, ac totius corporis robur, ac firmitas in oratore Eccleſiaſtico, vt labores perferre poſſit, eſt quærenda, ſed & peculiariter niti debemus, vt partes ſpiritales, ac inſtrumenta vocalia robuſta, ac firma fiant, vt conciones ipſe facilius, ac fœlicius habere poſſit; ideò ex vſu maxime erit ad formandas, excolendaſque voces, vt modò concitatè, & intentè, modò remiſsè legat, canat, pſalmoſque in choris, vel ſuas conciones recitet, quandoque etiam moderatè vociferet, cantu enim, ac lectionibus calore natiuo excitat, agitatiſque ſpiritibus, ſi quæ in partibus illis excrementa ſint congeſta, attenuantur, conſu-

Quando, & quantum exercendũ ſit.

Vocis exercitationes.

muntur, ac reiiciuntur, calid oraque, ac latiora inſtrumenta fiunt, vt diu orare, ac vociferare, ſi opus ſit, facili negotio poſſit. Modus, quo dicendi exercitatio olim peragebatur, talis à Cælio Aureliano explicatur, quod principia leni voce promebantur, narratio verò, & demonſtratio extenſa, atque maiore; tum epilogus demiſſa, ac indulgenti. Exercitatio verò vocis ritè inita, non modo ad vocis conſeruationem, ſed etiam ad bonam tuendam valetudinem, & ad corporis robur efficaciſſima eſt, vt ſcribit Plutarchus, vt pote, quæ thoracem, ac vocalia inſtrumenta perbellè exerceat, naturalemq; calorem excitet: à cæna verè vocis exercitationem valde commodam eſſe, & inter pranſum legere multum conducere ſcripſit Hippocrates, quod perfecta in ventriculo videlicet ex toto, vel maiori ex parte, cibi coctione intelligendum eſt: ea propter hanc vocis exercitationem aſſumpto cibo, & præſertim circa conciones valdè perniciosam eſſe arbitramur; vox enim multum læditur, quia ſpiritus, tum cibo ingeſto, tum clamore feruidus factus inter exeundum aſperam arteriam alterat, & nonnunquam exulcerat, præterquam quòd coctio ventriculi turbetur, & ex iugiter elatis vaporibus ad cerebrum deſtillationes malè excitentur, ea propter in hoc exercitio eadem obſeruanda ſunt, quæ in deambulatione ſeruanda eſſe diximus. ſecundo loco frugalitatem commendat Fabius

li.1.tard. paſ.

lib. de tuen. ſa. let.

lib. 2. de dieta.

exercitationem, ac cōciones poſt cibum eſſe nocnas.

frugalitas ſeruāda à concionatore.

pro firmitate, ac robore corporis ſui oratoris, vt videlicet continentia in omni victu vtatur, vt ne nimis cibis, ac potibus repleatur, ſed illis parcè, ac ſobriè veſcatur, neceſſitati, & non voluptati conſulens; qui enim, vt ſcribit diuus Gregorius, acceptis alimentis, non ad ingurgitationem ventris vtitur, ſed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam neceſſitas petit, ſcit ſatiari. Continentiæ in uictu commoda illa ſunt, ne excrementa in corpore redundent, ne cruditates, à quibus etiam maximè lædi vocem ſuperius diximus, fiant, ne obſtructiones, viſcerumque à copia infarctus oriantur, vt meatus liberiores ſint, vt natiuus calor ſingula corporis membra liberè permeans, ea viuificet, foueat, roboret, indeque vegetum corpus ſalubre, firmumque reddatur. Eadem præſtat voluptatum contemptus; eſt enim, vt teſtatur Plato, voluptas eſca malorum; hanc autem voluptatem in cibis excitant varia condimentorum, varia ſalſamentorum, ac lautiorum ciborum genera, quibus gula, vltra quam neceſſe eſt, irritatur, dum pruritu deſiderii copioſius, vel certè de ſingulis pauca ſumuntur. Ne igitur in hanc pernicioſam voluptatem verbi Dei præco incidat, hanc ciborum varietatem, apparatumque multiformem vitæ, ac valitudini aduerſantem vitare ſtudeat; Socrates enim ſuadere ſolitus erat, illos cibos, potuſque vitandos, qui vltra ſitim, famemque ſedandam

cõtinentia commoda.

in Phileb.

Voluptas in cibis quomodo vitari debeat.

Plut. lib. de tuen. valet.

producerent appetentiã, quod ea voluptate inoſcantes magnis malis inficerent. Nocet namque empta dolore voluptas. Veneris verò abſtinentia, quod erat tertio loco à Quintiliano propoſitum, ad corporis firmitatem, ac robur quantum valeat, quis non nouit? cum illius vſu, non ſolum corporis vires, verum etiam animi labefactentur, imbecilioreſque reddantur. Clynias enim pythagoricus interrogatus, quando mulieribus cõmiſceri expediret, cum quis velit, reſpondit, ſe ipſo fieri debiliorẽ, nec ſolũ ad corporis firmitatem veneris abſtinentia prodeſt, verum multo magis ad vocem conſeruandam; cuius rei potiſſimum argumentum eſt, quod antiqui ad tuendas hyſtrionum voces illo artificii genere vtebantur, quod infibulationem vocabant, ne venerẽ exercere poſſent, à qua vox ſummopere labefactari, ac deprauari ſolet, circulo æneo ipſorum virilia coercebant, cuius rei locupletiſſimum teſtem Corneliũ Celſum habemus, qui memoriæ prodidit, apud nonnullos morem fuiſſe, vocis gratia adoleſcentulos infibulare, & noſtris temporibus inualuit vſus, pueros caſtrare, qui iam adulti etiam acutam, & magnam vocem edunt, & apud Principes, in magno ſunt pretio; & hinc manifeſtum erit, qua ratione nymphææ heracleæ radix poſſit, vt ſcribit Plinius, vocem, ſimulque corpus alere; quoniam non ſolum in potu ſæpius, ſed etiam in cibo accepta, venerem, ac inſomnia veneris adimit: verum etiam effluentiam genituræ inhibet; vt autem facilius euangelicus orator car-

à Venereis abſtinendum eſſe.

Laertius lib. 8.

Veneris abſtinentiam vocem conſeruare.

Quidnã ſit infibulatio.

li. 7. c. 25.

Nymph. heracleã voci auxiliari.

li. 26. c. 10.

nis tentamenta ſuperare, emiſſumque caſtitatis votum ſeruare poſſit, præter remedia ſpiritualia, quæ ipſi alios docent, non ſolum famem, laboribus, ſtudiiſque contendere debet; excrementa enim, quamuis vtilia, tutius exercitio, & abſtinentia, quàm coitu euacuantur, ſed & mulierum aſpectus, ac conſortia, ſordidorumque librorum lectionem, nec non omnia venerem ſtimulantia vitare, vt Raphanum ſylueſtre potiſſimum, quo venerem ſtimulari Democritus exiſtimauit, & ob id fortaſſe voci nocere aliqui tradiderũt, præterea abſtinere ab eruca, porro ſectili, ſeu capitato, ab aſparago, ocymo, fœniculo, ſatureia, paſtinaca, carduo, ſatyrio, nuce myriſtica, galanga, nucleis pini, nucib⁹ auellanis, piſtachiis, malis inſanis, multiſque huius generis aliis. Abſtineat potiſſimum ſe à vinis generoſis, carnibus, & ouis, quantum pro corporis ſalubritate cõuenit, dum genitura nimis abundat, & præ copia æſtuat, ſomnum capiat nocte ſuper ſtrata duriora, vt lanea hyeme, æſtate verò palearia, nequaquam verò ſupra dorſum, nec ſupinè. Vltimo loco ad firmitatem corporis, Fabius vnctionem proponit, quam vocem pro paleſtra, & lucta exercitationum generibus, vt aliqui cenſent, accipere non poſſumus. Cum his ſolũmodò athletæ, vel gloriæ, luctiuè cupidi, aliiuè ad maius virium robur comparandum; non autem oratores, vel phonaſci vterẽtur, niſi pro paleſtra intelligamus artem, qua oratores in actionibus exercebantur, vt in ſuis ad Pandectas adnotationibus Budæus pro-

Remedia pro Venere cõpeſcenda.

ſimplicia aliaque Venerem irritantia.

Quid pro Vnctione ad Viriũ robur cõparari intelligẽdum ſit.

bat, & quam exercitationem multum ad virium robur comparandum facere diximus. Pro vnctione verò credimus Fabium intellexiſſe vnctionem illam, qua vtebantur illi, qui vel locari, vel ſeſe exercitaturi in gymnaſium, ſeu paleſtram, locum exercitationibus dicatum, veniebant; alipterium enim ingredientes vngebantur, atque ita vncti ad locum, vbi erat puluis, tranſeuntes puluere conſpergebantur, ſicque in exercitationes diuerſas diuerſi prodibãt: poſtquam verò ſeſe, quantum libuerat, exercuiſſent, iterum ad vnctuarium, ſiue eleotherium, & alipterium dictum, reuertentes, ibi à Mediaſtinis, & reunctoribus ſtrigilibus ferreis detergebantur, deterſi tandem iterum diligentiores aliqui valetudinis vngebantur, & nonnunquam inuncti balnea ingrediebantur, ſed poſt egreſſi denuo vngebantur, modo ſimplici oleo, modo variis odoribus condito. Quicquid tamen ſit, cum balnea, & exercitationes huiuſmodi non ſint temporibus noſtris in vſu, nec concionatoribus conueniant, ſat erit, vt pro tuenda valetudine, & firmando corpore ſuperiora auxilia adhibeãt. Præterea Quintilianus pro voce conſeruanda, alia tradit præcepta, vt vocalia, nempe inſtrumenta, larynx præcipuè, & aſpera arteria ſint mollia, ac lenia, ac ab humoribus expurgata ſtudeant oratores, cum vitio inſtrumentorum vox frangatur, obſcuretur, exaſperetur, & ſcindatur, ideo Galenus litteris tradidit, phonaſcos laxantibus, ac lenibus eduliis vſos eſſe, quibus, & vti

Inſtrumẽta vocalia ſint mollia, ac lenia.

lib. 7. de cõp. med. loc. c. 1. cibaria lenientia arteriã.

vti noſtri oratores debent, in quo genere numerari poſſunt ptiſſana rectè confecta, vel hordeum ipſum decoctum in iuſculo paruæ pullæ, quæ ſi cum ſucco amygdalarum dulcium recentium, & modico ſachari parata erit, fiet edulium admodum conueniens, iuſcula etiam paruæ pullæ, oua recentia in aqua elixa condimenta ex butyro recenti, ex penidiis, vel ſacharo cando, aut etiam cum amygdalino ſucco confecta valde conueniunt, pariter carnes vituli lactentis, caſtrati anniculi, ac pullorum gallinaceorum peridoneæ ſunt. Cibi ex fabis freſſis, & elixis, præſertim ſi cum ſupraſcriptis condimentis parentur, ſapa, paſſulæ pineæ, ficus dulces, amygdalæ, mixatia, & lac commendantur. Interea verò, quæ præter lenitionem, arteriam etiam expurgant, & extergent, Ariſtoteles maximè laudat, vna cum Plinio, & Dioſcoride porrum, eo quod voci ſplendorem afferat, & arteriam purget, vitari tamen debet aſſiduus, vel multus illius vſus, quia viſus obſcuritatem efficit, ſtomacho aduerſatur, multaque alia incommoda facit, ea propter niſi robuſtis admodum, decoctumque cum melle, vel in ptiſſana erit exibendum. Allium domeſticum claram reddere vocem, eo quod guttura purget, memoriæ prodidit Dioſcorid. ſed quoniam habet certum quid viroſi, & mali ſucci, præſertim, ſi crudum eſitetur iure optimo elixum conferre ſcripſit Plinius; elixatione enim tollitur illa grauitas; animaduertant tamen, qui temperamentum habent

Voce adiuuantia ex arteria abſterſione.

lib.11. prob.39.

li.20. c.6.

li 2.c.143

Porrum.

Allium.

li.2.c.146

calidum,& qui catarrho obnoxii ſunt, vt eo par-
ciſſimè vtantur,quia nocet oculis,capiti, ac reni-
bus: Alii tamen tutior eſt vſus,quàm porri, præ-
ſertim naturis frigidis, & humidis, ſi elixum, &
ſilurus piſcis. cum ſapa conditum comedatur; ſilurum piſcem
à noſtris ſterionem dictum,recenter captum, in
cibo quidem nutrire;ſale verò cõditum, arteriam
expurgare, ac vocem expedire teſtatum relique-
li.2. c.26. re Dioſc.ac Plin.Panem ſiccum primo cibo ſum-
li.32. c.8. ptum, vocis ſtudioſis, ac deſtillationibus vtiliſſi-
li.22.c.25. mum eſſe,idem Plinius commendat.Vt vox cor-
Panis ſiccus. roboretur, & clara reddatur, experientia com-
mala punica mista, ac dulcia. probatum eſt,maximè ex vſu eſſe,ſi grana dulcia,
ſeu media vinoſa à Dioſc.dicta punica,ſeu grana-
ta ſacharo albiſſimo inſperſa, & inſimul calefa-
cta ore retẽta, illorum ſuccus paulatim deglutia-
ſemen braſſicæ. tur. Inſuper ſemen braſſicæ cõtritum, & ſacha-
ro inſperſum,eodem modo ſumptum,habet exi-
medicamenta vocẽ adiuuãtia. miam vim vocalia organa roborandi, vocemque
claram, ſonoramque reddendi. Quæ verò pro
his adimplendis intentionibus, vt medicamenta
vſurpantur,ſunt glycyrrhizæ,ſuccus ſpiſſatus, &
li. 22.c.9. linguæ ſubditus,à Plinio,&Galeno laudatus;gũ-
li.6.ſimp. med. mi arabicum,fœnu græcum,lini ſemen,& traga-
cantha ex Galeno in vino madefacta,& in potum
aſſumpta vocem canoram, ac ſplendidam red-
dunt,aut ſi gummi arabici tragacanthi,ac glycyr-
rhizæ æquis partibus ſumptis, & cum ſapa mixtę
frequens ſit vſus, voci multum proderit: ſuccus
tabaci depuratus, & in ſyrupũ excoctus, ſi ma-
nè ingeratur, vocẽ concinnam, ac ſonoram red-
dit;

dit; ſtyracem calamitam contentum ſubtus linguam voci multum commodare, præterquam quod experientia comprobatum eſt, à veteribus medicis etiam commendatur. Plumbi laminam pectori impoſitam, vocem, limpidam, ac canoram facere, auctor eſt Plinius, & Neronem principem ſub ea cantica exclamantem alendis vocibus demonſtraſſe rationem. Antiqui ad tuendas hiſtrionum voces frequenter balneis aquarum dulcium vtebantur, quod relatum eſt à Galeno, quorum beneficio peritoneum, ſcrotum, ac teſtium vtriculi humectabantur, quæ partes ſic emollitæ magis tuto extendebantur, neque faciliter diſcindebantur; cum autem balnei vſus multas requirat cōditiones, vt difficillimũ ſit omnes ſimul conuenire, vt in lib. 4. de morbis veneficis diximus, cum etiam careamus, & balneorum locis accommodatis, miniſtriſque idoneis, hoc genere remedii his temporibus minimè conceditur, minores ſint concionatores ſemper Auicenna monente, quod diu magnam edere vocem, ſeu longo tempore vociferare periculoſum eſt, ex ipſis enim exclamationibus, ac vociferationibus ſepè numero herniæ inteſtinales, vel omenti in ſcroto, vel inguina erumpunt, quæ vulgo crepaturæ dicuntur. Ideò tutius eſſet, ſi concionatores, & præſertim hi, qui facilè in huiuſmodi vociferationes caritatis zelo feruntur, ſi concionum tempore ſubligaculum, brachale dictum, ex aliqua ſolidiori materia confectum geſtarent. Cum ex longioribus cōcionibus, & vociferatio-

li. 34. c. 18

balneorũ vſus, pro vocis conſeruatione.

cap. 5.

Vociferatione eſſe periculoſam.

ſitis concionatorum.

nibus ſupercaleſiant, & exſiccentur œſophagus, fauces, ac palatum, cum ratione plurimi, ac validi motus, tum ex vaporibus fuliginoſis expulſis in vociferatione, fit, vt omnes ferè concionatores ſiti vt plurimum torqueantur, pro qua ſedanda copioſè aquam frigidam bibere ſolent, quod tamen non eſt probandum, quoniam ex Dioſcoridis ſententia, aqua frigida à balneo, curſu, quauiſuè alia vehementi exercitatione, epota, dolores, ac ſtrangulatus affert, nec non necem ipſam potiſſimum ſi ieiuno ventriculo ſumatur, quod quàm verum ſit, plures euentus patefaciunt, vt legere eſt apud Amatum Luſitanum narrantem nõnullorum hiſtorias, qui cùm poſt exercitationes, ac ſudores potum frigidum aſſumpſiſſent, ſtatim interierunt; cùm enim meatus corporis tunc ſint aperti, ac virium robur nonnihil reſolutum, aqua in peniciores partes penetret, calorem, aut extinguit, vel ſuffocat, aut certè deteriorem reddit. Prætereà cum frigus ſit thoraci, ac pulmoni inimicum, vt pleroſque vtroque refrigerato obiiſſe teſtetur Galenus, vocalibus etiam inſtrumentis aduerſari credendum eſt, cum ſint partes ex cartilaginibus, ac neruis plurimis conſtructæ, illiſque ex ſe frigidis: Auicenna quoque teſtatur, copioſum aquę frigidæ potum dolorem lateralem excitare, & Galenus, potionem frigidam poſt exercitationes offendere ventrem, iecur, ac neruos: cauere tamen potiſſimum debēt huiuſmodi potum illi concionatores, qui frigidũ, aut ſubfrigidum ventriculum, vel cerebrum humidum,

frigide potus nocius. lib. 6. c. 1.

in lib. de ſalub. diat. cõ. 12.

midum, & deſtillationibus obnoxium habent; auget enim in his intemperiem, ex qua maior pituitæ copia adgeneratur; exoluto enim à frigido potu vētriculi natiuo robore, fiunt plurimę, cruditates, quæ vel earum vapores tranſmiſſi ad caput augent cauſſam deſtillationis, quæ ad laryngem [illegible]uens, vocem offendit; caueant igitur concionatores, & in ipſa cōcione, & poſt ipſam concionem, potationem aquę frigidæ, nec ſolum frigidæ, verum etiam & vini potum vitare debent, *lib. de ſa-* quia vt memoriæ prodidit Galenus, vinum poſt *lub. diæ-* exercitationes caput tentat, & maximè lædit, ſi *ta com. 12* ſine cibo ſumatur, vt periculum etiam conuul- *6. epid.* ſionis, & delirii afferat, pleuritidemque ex Aui- *com. 6. t. 5* cenna commouere poteſt, & ſi largior potus a- *10. 3. tr.* *cap. 6. 1.* cutorum morborum adfert initia, referēte Dio- *ſimpl.* ſcoride, quanto magis poſt exercitationes, præterquam quod ſitim concionatoribus ſatis frequentem, ac moleſtam adaugeat, vt interim ma- *lib. 2. de* la à Platone relata, quæ vinum ſimpliciter pota- *legib.* tum affert, ſileamus. Itaque pro ſiti arcenda, *remedia* quieſcant, ſileant, ſomno indulgeant, os frigida *pro ſiti.* colluant, & glycyrrizam cortice abraſo in aqua prius maceratam in ore teneant, & exugant, ad ſitim enim extinguendam multum valere experientia compertum eſt, & ſedata agitatione, & remiſſo calore, abſterſoque ſudore, ſi ſitis perſeueret, cyathum aquæ hordei accipiant, aut ptiſſanæ, vel aquæ fontis claræ vilapio roſato, aut violato mixtę. Interim abſtineāt à cibariis omnibus in ſartagine frixis, à rebus ſalſis, vel ſale con-

ditis,& cæteris relatis. Vniuerſè autem pro vocis conſeruatione vitare debent oratores noſtri nō ſolum edulia ſalſa, verum etiam acuta, & acida, quamuis ſalita aliquando pro arteriæ abſterſione conueniant. Animaduertant quoque concionatores, qui in concionibus habendis ſudant, vel multum incaleſcunt, ne peractis concionibus aëri frigido, aut ventis maximè frigidis agitato ſe exponant, ſed in thalamo temperato, vel parū calido, neque ventis obnoxio ſe includant, calor enim labore conceptus à frigore extrinſecus occurrente per reſeratos meatus extra egredi prohibitus, multa mala, ac necem ipſam facere poteſt, veſtes ſudore madefactas exuant, & ſiccas reſumant: nam ſi humida illa indumēta non abiiciant, facilè eſt carnibus calore relaxatis iterum imbibi, ſicq; denuo corporis meatus obſtrui, pręterquam quod panni madidi mox frigefacti horrores, fætores, ac alias moleſtias inducunt, atque inde febres interdum oriri ſolent; caueāt tamen ne magno igni ſe exponant, vel indumēta nimis calida aſſumant, vel in lectulo excellenter calefacto decumbant, præſertim temporibus calidis, vel etiam temperatis; magis enim ex his ſudores proritantur, ac eliciuntur, vigiliæ moleſtæ fiunt, ex quo & laſſitudines, & virium imbecillitates ſubſequuntur, minuſque pānis calidis caput madidum exugant, & confricent, vel multis ipſum grauent; hinc enim deſtillationes, raucedines, & alia mala oriri experientia cognouimus. Nec poſt conciones, & labores illico quieti ſe dedant, aut

cibum

cibum ſumant, ſed blando, & valde remiſſo motu vtantur, tãtumque à capiendis cibis abſtineãt, quoad calor, ſeu proturbatio illa quaſiq; corporis fluctuatio, æſtuatioue à cõcione genita prorſus ceſſauerit, & illis tranquillitas quædam, & leuamen ſucceſſerit, exacteque, vt ait Galenus, refrigerati ſint; & quoniam Verbi Dei præcones pro noctes vigilare, & fuliginem lucubrationum bibere, orationi ſedulò vacare, ac infudata veſte durare plerunque debent, vocem deliciis, vt præcipit Fabius, minimè molliant, nec imbuant ea conſuetudine, quæ duratura non ſit; ſed exercitatio eius ſit talis, qualis vſus, ne ſilentio ſubſidat, ſed firmetur conſuetudine, qua difficultas omnis leuatur, ideo confirmatæ, conſtitutæq; vocis genus exercitationis optimum erit, quod operi eſt ſimillimum, vt dicant quotidie ſicut concionantur, hoc namque modo non vox tamen confirmatur, & latus, ſed & corporis decens, & accommodatus concioni motus componitur. 3. in 6. epid. cõ. 2.

De cura vocis raucæ, ac deprauatæ, extenſiua, ſeu inflammata diſpoſitione.

CAP. II.

CVm circa vocis affectiones medici duobus officiis, conſeruationis nempe, ac præſernationis ſatisfecerimus, reliquum eſt, vt & alterum curationis munus exequamur; & quoniam vocis vitia in genere ſunt tria, & illa nõn vnica ratione, vnicaue de cauſa adgenerantur, multiplex

etiam & diuerſa eſſe debet ea profligandi ratio. Vitia verò vocis cum aliquando ex natura, ſæpius verò ex accidenti fiát, de curatione vitiorum naturalium agere ſuperuacaneum eſt, cum curationem minime ſuſcipiant, ſicut raucedinis, quæ ex intemperie humida, ab ortu laryngi inſita ſit, aſperitates, quæ à ſicca intemperie, ac mollities, duritiesq;, ex mollitie, ac duritie naturali inſtrumentorum contractę, nec nō & gracilitatis, quę ex vitio muſculorum laryngem mouentium innato fit, exilitatisq; ob anguſtiam organorum localium in prima confirmatione acquiſitæ. Cum autē cauſæ vocis craſſæ, tenebroſæ, tremulæ, obſcuræ, ac ſimilium, ſint ferè eadem cū cauſis raucæ vocis, ſi rationem curandi raucedinem docuerimus eandem, & aliis deprauatæ vocis vitiis deſeruire poterit; præterea cum quædam alia vitia vocis excitentur ex imbecillitate naturę, aut conuulſione, vt vox abrupta, & nonnulla in quibuſdam malis acutis, ac malignis appareant, vt vox clangoſa, & plorabunda, non eſt, vt de illorum curatione agamus, cum ex profligatione eorum affectuum, à quibus excitantur, ea proficiſcatur, & grauiſſimi auctores illorum malorum copioſas monumentis literarum tractationes reliquerint. ſi itaque rauca, aut aliter deprauata fiat vox ex vehementi exclamatione, ac vociferatione, ita vt aggeneretur quædam tenſiua, vel phlegmonoſa diſpoſitio, ſeu laſſitudo circa partes aſperam arteriam conſtituentes, & maxime circa eius caput, conſiderandum eſt, an affectio ſit in princi-

pio, vel in augmento, an conſiſtat, aut declinare incipiat, quoniam pro varia temporum ratione, varia etiam eſſe debet curatio. ſi itaque ſit valde recens affectio inflammata, Galenus, Aetius, Raſis, & Auicenna vſum balnei aquarum dulcium ac temperatarum, ciboſq; lenes, ac laxantes, qui omnis acrimoniæ, mordacitatis, ſalſuginis, aceſitatisque ſint expertes, commendant, quales ſunt lac, alica, vel quod eſſet melius pulmentum, ſeu ſorbitio ex farre, oua ſorbilia, butyrum recens, ſapa, hepeſma à Græcis dicta, ſuccus ptiſſanæ cum hordei aqua, vel ſi vires ſint imbecilles, aut ventriculus frigidus cum iure pulli ad ſorbendum parata: cui etiam addi poteſt ſuccus ſeminum melonum, ſeu amygdalarum dulcium, quæ prius in aqua maceratæ ſint; quod ſi etiam virtus fuerit debilior, hordeum decoqui poteſt in iure carnium, ſeu in aqua ſimplici cum portiuncula carnis: eligi tamen debet hordeum non admodum recens, nec plus æquo vetuſtum, albiſſimum, mundiſſimum, plenum, non rugoſum, & integrum; vitetur verò rarum, contractum, laxum, molle, nimis humidum, carioſum, tetri odoris, iniucundum, coctura non intumeſcens, ſelectaque grana cortice exuantur, ac deglubentur, quod aſſequimur, ſi ligneo in mortario prius igne calefacta tundantur, interim etiam aquam inſpergendo, vel vt alii volunt, ſi prius in aqua macerentur, ne grana dirumpantur, & poſtea linteo aſpero ea fricãdo, ita enim erunt perbelle parata pro conficienda ptiſſana, quæ deinde

Cura affectionis inflãmata in prin ci. et aug.

paratur decoquendo ea, vel in aqua, vel in iure, vt diximus prius, cum fortiori igne, deinde cũ molliori, vſque quo perfectè decoquatur; imperfectè enim decocta ptiſſana flatuoſa eſt, ac tormina parit; inter cibaria lenientia, & laxantia etiã numeratur ſorbitio ex pineolis, vel ex amygdalis recẽtibus, vel ſi vetuſtæ ſint in aqua maceratis, gelatina vulgo dicta, quæ ex pedibus animalium nonnullorũ optimè decoctorum paratur; doctiſs. Victorius poſteris reliquit nonnulla cibaria compoſita, inter quæ duo nobis maximè cõmendantur. & primũ eſt, quod accipit ſucci ptiſſanę ℥.iij. ſucci amygdalarum dulcium ℥.ij. butyri recentis ℥ i. penidiarum ſachari albiſſimi, conſeruæ violarum an. ℥.i. aquæ fontis clarę, ſeu hordei ℥.vj. quæ omnia ſimul decoqui debent, quouſque cõſumpta ſit quarta pars, cuius quidem mixturæ cõcionatores accipere poterunt vncias ſex loco cænæ, vel etiam eamdem, vel minorem quantitatẽ manè excretis alui excrementis. ſecundum verò recipit medullę pomorum dulcium lib.j. ſucci amygdalarum dulcium extracti cum aqua violarum ℥.v. penidiarum ℥.ij. ſachari ℥.i. quibus etiam addi poterunt ad libitum duo aut tria vitella ouorum, quæ ſimul coquantur, huius vſus erit, vt ſuperioris, vel ſæpius in die bolum accipere, & ſenſim eum deglutire. Victus in hac curatione ſit tenuis, vt pauco videlicet ægrotantes vtantur alimento, & præ omnibus à vini potu abſtineant ex Galeni præceptio, & loco ipſius ſumant aquam decoctionis hordei, aut glycyrrhicę, vel duobus ſimul

mixtis

mixtis hordeo,& glycyrrhiza, aut hordeo, & ſaccharo, quod ſi recta iniuncta victus ratio, & cibaria præſcripta non ſufficiant, ad malum profligandum nonnulla medicamenta eandem facultatem molliendi, ac mitigandi habentia in vſu venire poterunt, quæ remedia antiquiores medici generatim arteriaca medicamenta vocarunt, vtpotè quæ peculiariter affectionibus aſperæ arteriæ, nec non laryngis, & partium eas conſtituentium ſuccurrant, quamuis magis peculiariter eas compoſitiones, quæ ſubtus linguam tenentur, Hypoglottides appellarēt, quo paulatim eis liqueſcētibus aſperæ arteriæ ſtammum id quod ipſum defluit, ſuſcipiat; hoc autem ex induſtria fieri oportet, ne tuſſis excitetur, quod quidem aſſequuntur, cum ſupini cubant, vt docuit Galenus pluribus in locis: medicamenta igitur idonea à principio huius affectionis erunt amylum, tragacanthum in aqua violarum diſſolutū, gummi arabicū, glycyrrhiza, ius paſſularum bene coctarum, dactylorum dulcium, ac iuiubarum, mucagines ſem. lini, altrę, pſilii, cucurbitę excorticati, citruli ac melonis; pręterea quę guſtui grata ſunt, vt ſacharum violatum, iuleb violatum, iuleb capillorum veneris, & hoc compoſitum quod recipit mucaginis ſem. pſilii ſem. alteæ an. ℥.i. ſachari violati ℥.v. amyli ℥.ij. & cū ſacharo albiſſimo in aqua violarum diſſoluto, quantum ſat eſt ad conficiendum eclegma, conueniunt etiam paſtilli ex gummi tragacantha, glycyrrhizæ ſucco, & paſſo parati, quibus, & aliis ſimilibus ſæ-

Gal. li. 7. de comp. med. c. 1. lib. 4. meth. cap. vlt. l. 5. meth. c. 12. li. 7. de comp. med. loc.

cura affectionis inflammatæ in ſtatu.

pius oratores noſtri vtantur, & potiſſimum ante ſomnum, & ſummo mane, accepta tamen ore nõ deuorentur, ſed tamdiu detineãtur, vt ſenſim ad vocalia inſtrumenta tranſmitti queant. Quod ſi inflamatio mitior, ac moderatior facta fuerit, ita vt conſiſtat, nec amplius augeatur, & dolor, calor, ac aſperitas deſierint, victus ratio erit mediocris, media inter tenuem, & craſſam, & tam in cibariis, quam in medicamentis ſuperius ſcriptis, parum quid eorum quæ vim extergendi, vel expurgandi obtinent, addendum erit, quia ratione caloris, & exercitationis nonnihil humoris confluere ſolet, à leuioribus inchoando, & per media ad validiora progrediendo, alia ergo cibaria quæ conuenire poſſunt, erunt ſorbitio ex amygdalis; ſorbitio ex lacte, & melle diutius coctis amylo iniecto, vel ſiligineo pane, & butyrum recens, ſed inter alia aptiſſimum erit edulium, ſuccus hordei ſuperiori modo decocti, cum vino dulci, debili liquati, addito etiam, ſi placet, modico ſachari, cuius quidem vncias octo, aut plus, aut minus ad ventriculi tolerantiam veſperi loco ferculi, ceu cœnæ, & etiam in diluculo concionatores accipere poterunt; hanc enim ptiſſanam omnia alia cibaria, ac medicamenta antecellere, maximamq; vtilitatem afferre longa experientia comperimus, poterunt tamen & ſequenti compoſito vti, quod ℞. caricarum n.vj. pulpæ ſebeſten iuiubarũ paſſularum an.℥.i. amygdalati ℥.ij. ſachari candidi ℥.i. penidiarũ ℥.i.s. pomorum dulciũ ℥.i. quæ omnia in mortario tuſa, lento,

lento, ac claro igne cum iure pulli, aut alio liquore quantum ſufficit, coquantur, expreſſoq; colo transfundantur, vinum, tunc temporis licet bibere in prandio, videlicet & cœna, dulce tamen album, & debile, & ſi ſit opus, dilutum cum aqua ſachari, potiſſimum ſi vino dulci careāt. Medicamenta huius ſecundi generis ſimplicia erunt, decoctum caricarum, ſyrupus iuiubinus, nenupherinus, de glycirrhiza, iuleb capillorum veneris tracagātha vino madefacta. compoſita vero primo ℞.amyli, gummi arabici tracaganthi an.ʒ.iij. dulcis radicis, ℥.s.iuiubarū, ſebeſten an.n.x.caricarū ping.n.iiij.ſem.melonum, amygdalarū dulcium, pinearū an.ʒ.s.penidiarū ℥.i.s.cum ſacharo q.s. miſceātur, vel ℞.mannæ el.℥.i. ſpecierū diacodion ſpe.diatraganthi calidi an.ʒ.ij. penidiarū ℥.i.olei amygdalarū dulcium recentis ʒ.i.cinamomi el. ℈.i. & cū ſacharo paretur lictuarium. item ℞. pet.diatraganthi calidi an.ʒ.ij.penidiarū ℥.i. & cū ſucco amygdalarū dulcium, fiant formulæ ad lupini figuram. In decremento affectionis cū humiditas in parte ſit relicta, cuius ratione minimè clara vox edi poteſt, admouendæ manus ſunt ad ea, quæ vim habent exiccandi, diſcutiendi, & extergendi ſine acrimonia, à mediocribus tamē, vt ſuperius fuit animaduerſum, inchoātes, & ad vehementiora paulatim tranſeuntes vſq; quo ad ea quæ aliquid acredinis habent, perueniamus, ideo priori loco idonea erūt edulia, ex melle cocta, faba freſa elixata, ptiſſana cū cinam. vel cūm porro decocta, braſſica etiam, & porrum probe cocta; *cura in decremento.*

ex ſimplicib. medicamentis laudantur thereben-tina, mel diſpumatum, amygdalæ amaræ, acriora erunt, Iris, ſtyrax, galbanum, piper, cinamomũ, hyſſopus, thymus, ſpica, crocus, mirrha, & alia generis huius aromata acria. Inter medicaměta cõpoſita mediocria vnum ſubſequens erit, ♃. penidiar. ℥. i. s. gummi arabici tragacanthi amyli an. ʒ. iij. ſucci dulcis radicis ʒ. ij. thuris ʒ. i. s. myrrhæ ʒ. i. nardi ʒ. i. s. amomi ʒ. i. croci ℈. i. cum melle quantum ſat eſt paretur eclegma: Duo tamen medicamenta felici cum ſucceſſu à nobis experta ſunt, vt & vox ferè amiſſa horum beneficio vnica nocte reſtituta fuerit. Quorum vnum ♃. hordei optimi cũ cortice, paſſularum ſine nucleis an. ℥. i. glycyrrhizæ ſine cortice ac contuſæ ʒ. ij. caricarum pign. n°. vj. capillorum veneris, hiſſopi an. m. s. ſeminis braſſicæ ʒ. ij. pineorum recentium ℥. s. miſc. & fiat decoctio in ſ. q. aquæ communis ſecundum artem; & pro qualibet libra decocti adde mellis deſpumati, zuccari optimi an. ʒ. vi. cuius potionis bibant concionatores vncias ſex ante ſomnum, & totidem in diluculo, vel etiam interdiu, noctuque paulatim ſorbendo. Alterum eſt quod ♃. ſucci braſſicæ depurati ℥. ij. penidiarum ℥. i. oximelis ſcyllitici, aut ſimplicis, ſi minori ſit opus inciſione q. ſ. & fiat electuarium, quo ſæpe & paulatim lambendo vtantur; quamplura alia remedia in hoc caſu conuenientia in curatione raucedinis à deſtillante pituita proponentur, quorum medicamentorum ingens ſylua habetur apud Galenum, & Aetium.

lib. 7. de cõp. med. loc. ca. 1. ſer. 8. c. 51. & 52.

De Cura raucæ, ac deprauatæ vocis ex catarrho.

CAP. III.

CVm vox deprauata eſt, & raucedine affecta ratione humoris irruentis à capite, & irrigantis vocalia inſtrumenta intentiones curandi erunt, primum vt humores geniti educantur, & aliò diuertantur, ſecundo cauere ne alii generentur, tertio membra recipientia roborare ne recipiant, poſtremò quod in partes receptum eſt, eiiciatur; & quoniam à nonnullis doctiſſimis viris ſatis copiosè fuerunt tradita remedia, quibus primis tribus intentionibus ſatisfacere poſſumus, ne actum agere videamur, ea omittentes, de illis dumtaxat agemus, quibus materiæ fluxæ raucedinem facienti, & partim etiam fluenti occurramus, & eo maxime quod in concionatoribus vt plurimum fluxio ab aliqua cauſa externa, & ab intemperie recenter genita, ortum ducere conſueuerit, & ſacrorum ieiuniorum quadrageſimalium diebus, in quibus cum conciones quotidie habere debeant, longiori, ac validiori curationi ſubiici minime poſſunt; ſed antequã ad peculiarẽ catarrhi curationem accedamus, operæpretium eſt, vt vniuerſim de recta victus ratione verba faciamus nullum etenim eſt tam efficax remedium teſte Galeno, quòd ſolitum auxiliũ afferre queat, ſi ei victus vel reſiſtat, vel non adiuuet, cibi ergo in quacunque fluxione debent eſſe faciles coctio-

nis,boni ſucci, ac paucarum ſuperfluitatum, nec non ſympatian, ſeu familiaritatem, & conuenientiam cum corpore, quod nutritur,habeant, vt eorũ quantitas perpetuo ſit moderata, & minor in cæna, quicquid dicat Hier. Cabuzinus, vt materia fluxionis dematur;cibi vero,& potus cõtrarias debẽt habere facultates humori catarrhũ faciẽti,vt ſi calidus ſit,frigidi cibi, ac potus adminiſtrentur;ſi verò calidus ſit ſuccus fluens,frigida eſculenta,ac poculenta propinentur,ſi craſſus,ac tenax humor ſit,attenuantia, ac incidentia adhibeantur,quod ſi tenuis fluat, tum exiccãtia, tum incraſſantia conueniunt, ſi ex calore, ac frigore commixtus ſit humor, mediocriſque ſubſtantiæ fuerit,cibaria etiam ac vniuerſa victus ratio vtrãque qualitatem, ac mediam ſubſtantiam obtinere debent, & ſi vna qualitas magis præpolleat illa cum ſuo contrario eſt retundenda. Inſuper vitandi ſunt cibi, qui facilè vapores ſuos ad caput tranſmittunt,&|ægre concoquuntur, vt ſunt cæpæ Aſcaloniæ, faſioli,piſa,eruca,ſinapi,nuces,& alii ſimiles; & quamuis ad claram vocem edendam,porrum, allium, & faba commendẽtur,ob eorum tamen vaporoſam, ac craſſam ſubſtãtiam vitari debent, vbi raucedo à catarrho ortum ducat. Cibaria quoque in ſartagine frixa, & ſalſamenta omnia noxia ſunt. Nec in cibis ſumendis ſpernendus eſt ordo; læuia enim, & aluum ſubducentia prius,quę verò plenius alunt,poſterius ingeri debẽt,nec dura mollibus,nec adſtringentia ſubducẽtibus, nec craſſiora tenuibus, nec conco-

concoctu grauia facilibus præmittantur. Tempus verò ſumẽdi cibi opportunum erit, cum inanitis partibus fame, & appetentia nos vrgeri percepimus, latrantemque ſtomachum ſentimus, diutina enim famis tolerantia ventriculum prauis replere humoribus conſueuit, vt rectè Auicenna ſentit; nec famem cibi ingeſtione præuenire debemus, quoniam cruditas inde malorum omnium ſeminarium oritur. Pro potu à principio vinum vitare debent, præſertim in catarrho calido, & vbi valida ingruit deſtillatio; vini enim natura eſt caput replere, & ſi quid vitii adhuc ſuperſit, ipſum accendere etiam quod tenue, & aquoſum ſit, ideo etiam lora, quæ poſt vini expreſſionem aqua vinaceis ſuperinfuſa efficitur, omittenda eſt, cum, teſte Galeno, capiti dolorem inferat. quieſcente vero deſtillatione, & facta aliqua humoris peccantis euacuatione vtantur vino albo debili, tenui, ac modice aſtringente, tale enim, vt memoriæ prodidit Galenus, ventriculum robuſtum efficit, ita nequaquam tentat caput, vt facere ſolent, quæ vehementes vires obtinent; Paulus tamen, vinum etiam dulce concedit, fortaſſe ea ratione, quod ſcriptum reliquerit Hippocrates, vinum dulce, vinoſo minus caput grauare, minuſque mentem ferire, nec non quouis alio facilius per aluum deſcendere: Quælibet vina noua vitanda ſunt, quia copioſam pituitam gignunt in ſtomachis, vt auctor eſt Galenus. Quoniam igitur vini vſus noxius erit, eius loco vtantur in

fen. 3. pr. lib.

lib. 5. de ſan. tuen. c. 5. lib. 2. de alim. fac. cap. de Vuu.

lib. 4. de vict. rat. acut. t. 2.

lib. de nat. hũ. com. 1. frigido catarrho multa ſeu hydromelite ſimplici, aut cum ſaluia, aut hyſſopo, vel aqua decoctionis cinamomi, ac glycyrrhizę. aqua vero pura, ac ſimplex penitus abneganda eſt, ſi Auicennæ credimus. In calido catarrho poteſt adhiberi vinum granatorum cum iulapio violato, ſeu capillorum veneris mixtum, ſeu hæc eadem iulapia, & etiam roſaceum aquâ ſimplici ea miſcentes, aut aquam hordei ſimplicem, vel cum portione glycyrrhizæ, vel aquam ſachari, vel decoctionis coriãdrorum, qui arte correcti ſint. Potus quantitas in quocunque caſu ſit exigua; procurata enim ſitis, catarrhi materiam exiccando multum confert, *lib. 2. ad Timot. cap. 7.* ſicut teſtatum reliquit Theodorus Priſcianus: inter prandium, & cænam nil comedant, vel bibant præcipuè poſt cænam; nihil enim magis auget catarrhum, quam potus vini ante ſomnum potatus. Cum calida eſt fluxio, caueant ſolis, & æſtatis calores, ignem, thalamum nimis calidum, & anguſtum, caput non ſit nimis grauiter tectũ, præſertim poſt conciones, vt multi facere conſueuerunt, fugiant auſtrinum ventum, ac meridionalem, & maxime ſi boreę ſuccedat, & è conuerſo, vitent quoque ablutiones, frictiones, & alia exterius calefacientia. In frigido vero catarrhi frigora vitent, & caput potiſſimum muniant, caueant ſeptentrionalem, auſtrinumque vẽtum, ſub dio ambulationes tempore frigido, lauacra frigida, & detectum tenere caput potiſſimũ poſt cõciones, vel ſi poſt auſtrum ſeptentrio ſpiret, & quantum fieri poteſt, domi ſe contineant, quod ſi egre-

ſi egredi cogãtur, caput ſit bene munitum pileo, aut cucullo, ſub illiſque ponãt papyrum mollem, & fragilem alternis diebus permutandum, ſub quo etiam geſtare poterunt, parum ſtupæ canabis, aut lini, thure, aut mirrha ſuffumigatum, hãc enim tueri cerebrũ mirum in modũ ab impreſſionibus frigidis nonnulli aſſerunt. Qui catarrho laborant:* quo ad medicamenta ſi materia fluẽs ad organa vocis ſit frigida, & tenuis, medicamenta modicè calefacientia, & exiccantia conueniũt, quæ ratione fluxus ſiſtant; ratione vero fluxi humoris, & in partibus vocalibus contenti leniant, & educant, vt eſt diatracaganthum calidum rhodomel cum ſyrupo myrtino mixtum, vel ſuccus glycyrrhizæ, & dracaganthum in ſapa infuſum, ex quibus pilulæ formari poſſunt, aut ♃. dracagãthũ, amylum, & amygdalas dulces, æquis portionibus, & cum ſacharo, quãtum ſat eſt, fiat cõfectio. Quod ſi materia ſit craſſa, & tenax, & fluxerit ad vocalia inſtrumenta, in vſu veniãt ea, quę attenuare, incidere, abſtergereq; poſſũt ipſum humorem, & inſtrumenta ſimul lenire, & præter ſuperius relata, alia in liquidiori, & ſolidiori ſubſtantia parari poſſunt, priora poſſunt confici ex caricis, vuis paſſis, & melle, addatur, ſi fortiori medicamento opus ſit, hyſſopum, pulegium, & glycyrrhiza, poteſt fieri, & decoctio illarum per ſe, vel duobus tantum mixtis, vel miſceri decoctio glycyrrhizæ cum ſapa, quæ etiam ſola ex vino dulci parata, aut cum melle mixta commẽdatur, in communi vſu vſurpari ſolent oximel, ſy-

ad catarrhum frigidum ac tenuem.

Vide pag. ſeq.

ad catarrhũ craſſum, ac viſcidũ.

rupus de glycyrrhiza, ſyrupus de hyſſopo, quæ omnia accipi poſſunt, aut pro potu, aut pro gargariſmate. Inter ſolidiora medicamenta, quæ ſubtus lingua teneri poſſunt, maximè ex vſu eſt ſuccus braſſicæ depuratus, & melle mixtus, qui ſuccus inter medicaměta huius generis fortaſſe primas tenet, recentiores laudant loch de pino, loch de althea, loch ſanum & expertum, loch de caulibus, ſuccũ glycyrrhizæ, grana cubebę manſa, myrrham electam, aut ſemen altheæ ore retentum, & guttam aceti ſyllini deglutitam: medicamenta etiam alia ſatis idonea parari poſſunt, ex thure, myrrha, croco, & ſcylla, vel ex croco, & therebentina lota dracagãthõ ſucco glycyrrhizę, & amygdalarum, ex quibus cum melle exceptis fieri poſſunt globuli ſubtus lingua tenendi. Cum autem pituita præ ſui tenacitate partibus vocalibus valde hæreat, admouendæ manus ſunt ad ea, quæ fortius extergere, & incidere valent, vt eſt oximel ſcyllinum, acetum ſcyllinum, & ſuperius deſcriptum electuarium, ex ſucco braſſicæ, penidiis, oximelite ſcyllino paratum, ſæpiuſque experimento comprobatum.* Qui catarrho laborăt, ſomnum diurnum vitare debent, eo quod cerebrum humore nimio, vaporibuſque plurimis repleat, quos vigilia potius abſumi oporteret; vapores enim, & fumi, qui vigiliarum tempore reſolui, & diſſipari ſolent, ſomno diurno retenti in caput impetum faciũt, & cerebrum nimia humiditate replent, caput vero repletum humores in inferiores partes refundens catarrhum gignit, ac

multa

multa alia mala, quæ Paulus & Auicenna referunt. Quod ſi longa adſit conſuetudo, vel nox præceſſerit inquieta, & inſomnis, aut laſſitudo, ac defatigatio à labore concionis, aliaue de cauſa contracta ſit, vel vires imbecilliores euaſerint, ſomno diurno nonnihil indulgendum erit. Nocte verò ſomnus ſit parcior, quàm in ſanitate, nec ſtatim poſt cænam, ſed interpoſita mora ſaltem vnius horæ cum dimidia, in qua leui deambulatione corpus dimoueri valde conducit. In ſomno decubitum ſupinum deuitent, quia grauiſſimis malis initia præbet, & fluxiones facit. Ante cibum exerceantur ſe moderatè, nam immoderatum exercitium magis fluxiones irritat, & poſt cibum, lenes, ac debiles ineantur exercitationes, quies tanquam contumax vitanda eſt, motus verò inferiorum membrorum prodeſt, omittenda ſunt exercitia caput replentia, & potiſſimum voce contendere, & conciones alta voce habere, vociferarique, vel canere; & quamuis Aetius memoriæ prodiderit, vociferationem conducere raucedini vocis ob ſuperfluam humiditatem, de illis tamen humoribus, qui aliunde, quam à capite, ad arteriam confluunt, intelligendus eſt. Et quamuis ſanitatis, & vocis ſtudioſi repletionem, ſanitatem, ac vocem euertentem, cauere debeãt, potiſſimum id præſtent, vbi catarrho laborant. Quod ſi calida, ac tenuis ſit fluxio, tunc frigida leniẽtia humorem incraſſantia, ac modice aſtringentia conueniunt, vt ſunt diatracaganthum frigidum remota camphora, ſacharum roſaceum

li.1.c.97.
lib.1.ſ.3.
doc.2.c.9.

ad catarrhum calidum, ac tenuẽ.

violato commixtum, pilulæ bechicæ diacodion, penidia, nec nō compoſitio ex amylo, tracagantha, amygdalis dulcibus, ſeu earum oleo recenti, & ſacharo parata, valde etiam commendantur dia papauer, ſeu loch de papauere, iuleb, ac ſyrupus roſarum, & violarum, ſyrupus myrtinus, de papauere, iuiubinus, nec aſpernandum eſt decoctum quoddam confectum ex dulci radice viridi, ſebeſten, ziziphis, & ſacharo, quibus ſi libet, addere poſſumus hordeum ſine cortice, aut violas, aut adianthum, vel omnia ſimul. Poteſt inſuper os collui cum aqua hordei, violarū, aut maluarum cum glycyrrizæ decocto. Quod ſi calidus, & craſſus ſit catarrhus, ℞.amidi, zuchari albiſſimi an.℥.ij. pul.glycyrrhizæ ℥.i. dracaganthi, gummi arabici an.ʒ.v. amygdalarū dulcium ʒ.i. mis. & cum ſyrupo violato fiat confectio, vel ℞. ſacharum candidum, & glycyrrhizam recētem, & cum oleo amygdalarum recentium fiat compoſitio, vel ℞.farinæ amyli, ſachari candi an.℥.i. ſucci glycyrrhizæ ʒ.i. violarum ℈.ij. dracaganthi gummi arabici an.ʒ.i. cum aqua capillorum veneris fiat cōfectio. Et in hoc caſu etiam apta ſunt nonnulla medicamenta localia, quæ in inflammata diſpoſitione, cum eſt in ſtatu, recēſuimus. Vniuerſè tandem animaduertendum eſt, experitiſſimi cuiuſdam medici ſententia, in raucedine orta, ex diſtillatione à capite, & potiſſimum frigida, & humida, mittendum non eſſe ſanguinem à cubito, veniſque ſuperioribus etiam ſi febris aliqua raucedini copuletur, quoniam ex hac

ad calidum, ac craſſum catarrhum.

caput

caput magis frigeſit, & imbecille redditur, faciliuſque defluxus ad organa vocis,& fauces decũbit, ex quo grauia gignuntur ſymptomata,priori morbo grauiora,cum & experientia comprobatum ſit,illos,quibus per venas ſuperiores ſanguis miſſus eſt,rarò vel nunquam vocem recuperaſſe, & à morbo conualuiſſe,ſi cauſa raucedinis fuerit intemperies calida, ſolum abſque materia in inſtrumẽtis vocalibus excitata, alterari, ac permutari debet cum refrigerantibus, iuxta vulgatum axioma,contraria contrariis curantur,modo mitioribus,modo acrioribus: pro intemperiei magnitudine, & paucitate, obſeruantes tamen, vt medicamenta præter refrigerationem etiam leniãt,de quibus proximo loco egimus. ſi cauſa affectionis ſit intemperies ſicca, earumdem partiũ ſimplex erit cum humectantibus, ac lenientibus retundenda,vt ſunt mucagines, & multa alia deſcripta in curatione raucedinis factæ extenſione inflammata,dum eſt in principio. *cura raucedinis ex intemperie cal.* *ex intemperie ſicca.*

Quod ſi oriatur raucitas ab intemperie frigida, tantum conueniunt ea remedia, quæ raucedini à diſtillatione frigida prodeunti,prodeſſe diximus. ſi ab intemperie ſolum humida generetur, branchos exiccantibus curatur, ſi frigida & humida intemperies ſimul iungantur,calefacentia,& exiccãtia debent adhiberi, eadem ratione, ſi calida,& ſicca intemperies raucedinem gignat, cum frigidis & humidis eſt profliganda, quod ſi raucedo à ſanguine,vel melancholia fiet, cum de raro euenire comperiamus, non eſt, vt de illius *ex intemperie frida.* *ex intemperie humida.* *ab aliis cauſis cura.*

curatione ſimus ſolliciti, cum facile vnusquiſque medicus curationem ex aliis ſimilibus affectibus accipere poſſit, nolumus etiam immorari circa curationem morborum, vocalium inſtrumentorum, vt tumorum, vlcerum, ac ſimilium ſeu morborum aliarum partium, vt empiematis, tabis, aſtmatis, pleuritidis, epilepſię vel alterius, ex quibus deprauata, aut rauca vox efficitur, cum ad noſtrum non pertineat inſtitutum, aliiq; de his copiosè egerint.

De gargareonis inflammatione vocem lædente.

Cap. IIII.

Qvoniam gargareonis, ſeu columellæ inflãmatio non ſolum vocem lædere, obſcurioremque reddere, verum etiam ſi vehemens fuerit, ſpirationem intercipere, ac celerrime ſuffocare poteſt, vt memoriæ prodiderunt Hippocrates, *lib. 2. de morbis.* & Aretheus, *lib. 2. de mor. acut. cur. c. 8.* ideo omni ſtudio ac diligentia, & quã citius fieri poteſt, profligari debet, habita illius cognitione, quæ habetur, vbi videtur pars tumore ac rubore affici, obſcuram, ſeu raucam vocem emitti, conqueriturque ægrotans de dolore, deglutiendi, ac ſpirandi difficultate, qui etiam febre ſit correptus. *Signa.* Duplicem verò huius inflammationis ſpeciem Aretheus ſtatuit, quarũ vnam columnam, alteram Vuam appellat, quamuis vtraq; cum inflammatione, craſſitie, longitudineque ſuboriatur, ita vt in arteriã pendulæ fiant, columna tamẽ æquali craſſitie, à baſi ad ſummũ vſq; palatum,

palatum, vna vero, quę à Galeno, & Actuario ſtaphylis dicitur, inæquali conſtat craſſitie, huius enim baſis ad palatum gracilis eſt, in extremo teres, & craſſa, rubēs, aut liuida, vuæ figuram & nomen conſecuta, & ideo aptè affectum hunc, vuã, & nõ partem nominari debere ſcripſit Rufus Epheſius. Curari igitur periculoſa, ac moleſta iſta affectio debet, nõ ſolũ cum tenuiſſimo victu, vini abſtinentia, quiete omnimoda, ſanguinis miſſione, purgatione, omni reuulſionis, ac deriuationis genere, omnibusq; remediis, quib. & angina ſolui debet, verum etiã localib. adhibitis auxiliis, de quib. nos dũtaxat verba faciemus. A Principio itaq; mali fluxũ inhibentia adhibere oportet, quę facultatis aſtringentis ſint, & ſi moderatus fuerit fluxus, ea quæ moderatè aſtringũt, vbi verò fortius inualuerint, quæ ſtrenue aſtringũt, in vſu veniãt, collutiones ergo ſeu gargariſmata moderata ex Galeno erũt, poſca dilutior tepida, decoctio palmularum in aqua ſolum facta, vel modico etiã melle incocto, decoctio roſarum aridarũ, pampinorũ vitis, foliorũ, ſeu germinũ rubi, hypociſtidis radicũ mori, ex malis, pyris, vel ſorbis acerbis, quorum aliqua ſeorſum, vel plura mixta in aqua decoqui debẽt, addita etiã ꝙ eſt melius, mellis portiuncula, teſtatur enim Galenus, horum mixturã vſu ſimplicium vtiliorẽ eſſe, ſucci etiam cydoniorum, vel pampinorũ, vitis, aut rubi, vel myrtilorũ cũ aqua arnogloſſi, vel hordei, aut burſę paſtoris, & modico melle valde cõmendantur. Celſus laudat decoctum rubi cum lenticulis, Raſis vero ſuc-

lib.1.de app.par. cor.hum. cap.8.

Cura.

aſtringẽtia leuia.

cum mali punici, vna cum interiori pulpa expreſſum, & Ioannes de Vigo ſubſequens, ℞. hordei mundi m.i. lentium m.s. roſarũ ſumach an.ʒ.ii.s. myrtillorum granorum, & foliorum oliuarum ſylueſtrium ana.ʒ.i. bulliant omni in aqua fontis, quantum ſat eſt, ad cõſumptionem medietatis, ſeu duarum partium, cui decoctioni per colũ transfuſæ addatur aceti albi ℥.iij, ſyrupi roſati ℥.ij.s. & iterum bulliant vnica ebullitione. Vinum etiam duorum malorum granatorum, cum tantumdem aquæ roſaceæ, atque plãtaginis, & modico aceti, ac ſyrupi roſati ſummopere ſatisfacere huic intentioni, idem Iohannes ſcribit. Quod ſi humorũ influxus vehementior fuerit, & inflammatio magis vrgeat, fortioribus aſtringentibus vti debemus, vt decocto foliorum, ac fructuum myrti, aut virgultorum tenuiorum ilicis, & vniuerſi quercini, ſmilacis, ſimiliterque glandium, meſpilorum, & cornorum: præclariſſimũ autem omnium eſt auctore Galeno decoctũ gallarum, rhois obſoniorum, ac tinctorũ, myricæ fructus, vtriuſque mali punici floris, & putaminis, ſi vnus, vel plures, aut omnes vna accipiantur, vel loco decoctionis ſuccis vtamur, vt vuæ acerbæ, prunellorum cornorum, ribes, & ſimilium, qui cum aquis liquati, & modico mellis pro oris collutionibus faciunt. Nec ſolum cum liquidis, verumetiam cum aridis medicamentis, iuxta Galeni, & Aetij ſententiam, niti debemus, vt fluxio ipſa inhibeatur; ex leuioribus huius generis, ſunt roſæ, & flores ipſarum prædictarum plantatum, ger-

Aſtringẽtia fortiora.

mina exſiccata, hypociſtis, ac omphacium ſiccum. His imbecilliora ſunt, minoriſque acrimoniæ tracagantha, ſarcoccola, & amylum, quibus erit vtendum, vbi columella ab his, qui excellenter aſtringũt, auxiliis fuerit cõpreſſa, aut à mordẽtibus, ac diſcuſſoriis irritata. At præ omnib. aliis ſummè aſtringunt omnia aluminũ genera, & potiſſimum ſciſſile cum tenuioribus conſtet partibus, & multa alia medicamenta, de quibus Galenus, & Aetius verba faciunt, docẽtes etiam varios mixtionis modos, roſarum cum alumine, prout maiori, vel minori opus eſt aſtrictione. Huiuſmodi verò medicamẽta, vt pręcipit Aſclepiades per atundinem, vel pennam, aliudue ſimile inſtrumẽtum non ſunt inſufflanda, ſicut apud omnes ferè eſt in more receptum, ſed præſtat, vt cocleario, vel ſpecilli concauo, quod in fine deſinat in obliquam lineam excipiantur, & gurgulionem attingere, vel quoquo pacto leniter comprimere, & paulatim attrahere, tum ſupra, tum foris linguam verſus, vt pendens linguæ potius incumbat, quam faucibus, quia & minor affertur moleſtia, & medicamenta, non ita in fauces, ac meatus eò pertinentes defluunt. Poſſumus etiã cum medicamentum eſt molle, vt Auicenna docet columellam penna illinire, & quoquo modo res fiat, ſemper blande eſt tractanda columella. Animaduertendum eſt tamen ex Galeno; quod cum rarò medici à principio vocentur, & vt plurimum facto iam morbo, quod & minus ſæpe ſolis repercutientibus vti debent, præſertim vbi

lib. 6. de cõp. med. cap. 3.

modus applicãdi pulueres columellæ.

Oribas. lib. 4. ad eunap. cap. 69.

aſtringẽtia cum diſcuſſoriis mixta.

corpus ægri fuerit humoribus repletum,aut particula affecta ex natura debilis, ea propter in initio,vel paulo poſt cogimur aſtringentibus admiſcere aliquid ex diſcuſſoriis, in quo caſu diamoron, & dianucum cũ mel recipiant, optima ſunt medicamenta,& à Galeno multũ celebrata, pręter enim vim aſtrictoriam,quam obtinent, nonnihil etiam digerere queunt. Vbi verò inflãmatio conſiſtere incipiat, debemus vti illis, quæ inflãmationem lenire, & concoquere poſſunt, inſolenter enim huiuſmodi affectus ſolis replẽtibus profligari poſſunt,admiſcendo digerentia,ac diſcuſſoria cum repercutientibus, replentia medicamenta iam multa enumerauimus, digerentia ſunt fœnu gręcum,erui farina,thus,mirrha,chamęmelum, anethum, althea, ac mel, quorum aliqua cum ſupraſcriptis repellentibus admiſceri poterunt, & in aqua decoqui pro gargariſmate, aut accipere diamoronem, vel dianucum,& ipſis admiſcere aliquid croci, & mirrhæ, vt libræ diamoronis, aut dianuci addentes croci, & myrrhæ ſingulorum ſcrupulum vnum: optimum pharmacum, cum in principio, tum in vigore ex Aetii ſententia eſt, hoc quod ℞. rhois culinarii ʒ. iiij. florum roſarum ʒ.ij.croci ʒ.i. coſti ʒ.s. contuſis, & cribratis omnibus vſu expetente, dimidium cochleare in duobus aquæ mulſæ aquoſioris cyathis diſſolutum ad gargarizandum aſſumantur, nolumus multa alia ab ipſo laudata recenſere, cum vnuſquiſque,apud eum legere poſſit. Quod ſi tempore ſtatus dolor vrgeat,agendum eſt cum lenien-

cura cum morbus eſt in ſtatu.

digerentia medicamẽta.

ſer.8.c.40

lenientia dolorẽ.

lenientibus, & concoquentibus, qualia ſunt lac nuper mulſum, ac tepidum gargarizatum, decoctum glycyrrizæ contuſæ ſimplex, vel decoctum caricarum pinguium, vel paſſularum, quæ decocta, & ſimplicia, & cum ſupra ſcriptis etiam miſceri poſſunt. Verum ſi inflammatio declinare incipiat, diſcuſſoria, ac digerentia medicamenta conueniunt, quæ valentiora, aut infirmiora ſint, prout magis, vel minus craſſus fuerit humor, in columella impactus, vel inflammatio ad duritiem magis, aut minus vertatur, ſi itaque paucus, aut minus craſſus fuerit humor, ſat erit iam deſcriptum medicamentum ex ſuccis illis, & croco, ac myrrha paratum, quod ſi maior vrgeat digerendi neceſſitas, alia admiſcere poterimus, quæ efficacius diſcuſſionem adiuuare poſſint, vt ſunt thymus, menta, hyſſopus, pulegium, calamentum, origanum, quibus & addit Galenus, ſal, nitrum, aphronitrum, ac ſulfur ignem non expertum, ſed in pauca copia, & ea diuerſa pro varietate naturalis morbi, & materiæ contentæ, quæ imponi debent, dum medicamentum coquitur, aut poſſumus parare decoctionem cum æquali portione aquæ, & mellis, in qua pyrethrum, piper, thus, myrrha, ac ſarcocolla præparata ebullierint. In curatione communi inflammationes tonſillarum, ac columellę dum eſt in vigore, ſcribit Auicenna, & Galenus, ex Archigene magnũ iuuamẽtum præſtare, ſi amygdalinum oleum in

declinationis mali cura.

diſcuſſoria medicamenta.

auri impoſita, qua ratione iuuẽt.

auribus infundatur, forinſecuſq; ſpõgiis expreſſis leniter aures pariter foueãtur, ad quam intentionem, & nonnulla alia remedia proponunt, qua autem ratione indita auribus, aut exterius circum poſita inflammationi tonſillarum, & columellę auxiliari poſſint, indagandum eſt, niſi eſſet pro diuertẽda materia inflamationem faciente, pro qua ſcribit Meſue, fricandas eſſe aures, & extendendas ſurſum vehemẽter doloroſa attractione, ſed diuerſio hæc potius in initio, & incremento conueniret, quam in ſtatu, & ad partem nobilem, ac ſenſus inſtrumẽtum trahere humores rationi non ſit congruum. Quod ſi inflãmatio ad duritiem vertatur, emollientibus medicamẽtis opus erit, qualia ſunt, radix, & folia altheę, ſemen lini, fœnu græcum, & alia ſimilia, quibus etiam admiſceri poſſunt hyſſopus, & glycyrrhiza. Verum ſi ad ſuppurationem inflãmatio vergat, mitioribus collutionibus, & gargariſmis, eiſque concoquentibus erit vtendum, quo caſu præſtat, decoctum ex caricis ferme indeſinenter ad gargarizandum, aut aqua mulſa, vel ſapa, aut [illegible] næ ſuccus, in quo vuæ paſſæ incoctæ ſint, [illegible] dulcis inſuper decoctum, aut furfurum lo[illegible] calida, & alia huiuſmodi, quæ in caliditate temperata ſunt.

ad duratam inflã mationẽ.

ad ſuppurationẽ.

De laxata columella.

CAP. V.

laxata columella cura.

ET quoniam gurgulio, non ſolum inflamatione corripitur, verum etiam laxatur, & lõgior effici-

efficitur ob effluxionem à capite, cuius ratione linguæ radici, ac faucibus propẽſius incumbens, fit, vt vox obſcura, & inſuauis reddatur, quam affectionem laxatam columellam latini; barbari vero caſum vuæ appellant, eapropter eius curatio ſedulò eſt tractanda. Inſtituta itaque victus recta ratione exſiccante, videlicet, euacuato corpore, & capite ſi opus ſit, à principio fluxioni occurrere debemus cum localibus, quæ repellant, & exiccent, mox cum his, quæ repercutiant, ac diſcutiant ſimul; poſtremo iam facto morbo, ac firmata fluxione, cum diſcutientibus dumtaxat, de quibus, quamuis in curatione columellæ inflammatæ egerimus, nõnulla tamen alia huic affectui magis cõgrua addere vtiliſſimum fore duximus. Inter initia laudatur à Raſi, ſuccus mali punici, vna cum interiori pulpa expreſſus, ac gargarizatus, quo vti poſſumus in mollioribus corporibus, ſicut & roſis aridis, ac tritis, vel etiã addito myrto, accipiẽdo roſarum partes duas, myrti partem vnã, ex quibus paretur decoctum pro gargariſmate, in robuſtiori vero corpore, & maiori affectu putamina mali punici, & molicorium trita, & ſi opus ſit fortiori, gallæ etiam tritæ conueniunt, Galenus probat quoddam medicamentum, quod fuit propoſitum ab Andromacho, & recipit aluminis liquidi ℥.viij. florum roſarum lib. v. mellis lib. i. ſucci hypociſtidis ℥.iij. debet autem confici, coquendo alumen ex melle, mox cætera arida contuſa inſpergendo, & adhuc parum coquendo; duplex eſt modus vtendi, nam & dilui *lib. 6. de cõp med. loc. c. 1.*

poteſt aqua calida, aut mulſa, & potiſſimum, ſi adſit aliqua inflammatio, poteſt & cochleati ap-poni; verum quia nos alumine liquido caremus, eius vice ſciſſile alumen plumæ vocatum, medicamento iniicere poſſumus. Expertum eſt etiam, columellam elongatam reprimi cum puluere boli armenæ, gallæ, & aluminis vſti partibus æqualibus; bolus armena etiam per ſe confert. Poſtea adhibenda ſunt ea, quæ & ſiccandi, ac reprimendi parum, diſcutiendi vero magis facultatem poſſideant, vt eſſet origanum, apium, & hyſſopum in aqua, & aceto decocta, vel etiam cremore caricarum miſto, lauri etiam folia cum lentibus in aqua, & parte vna aceti decocta, ſatis cõueniũt pro gargariſmate, & oris collutione. Arida quoq; medicamenta parari poſſunt, ex gallæ omphacitidis, aluminis, ſciſſi, ac ſalis ammoniaci partibus æqualibus, quibus tritis, ac ſimul mixtis expleto cochleari, gurgulio contingendus eſt, & eſt medicamentũ à Galeno celebratum, pro validiſſimo ad repellendum, & diſcutiendum, ſi paucus adſit humor, paruuſque ſit affectus, & caput non multum excrementis ſit repletum, curatur ſolo piperis longi contactu, qui quidem exiccat, & leuiter aſtringit. Antonius Neapolitanus proponit quendam puluerem, quem alia medicamenta nos antecellere, multis experimẽtis comprobauimus, accipit verò piperis cinamomi an. ℈.s. corticum thuris, gallarum an. ℈.i. roſarum rub. ſoccarum ʒ.ij. omnibus contritis, ac ſimul mixtis paretur puluis. Poſtremò in morbi declinatione

natione, cum nulla amplius adeſt inflammatio, vel calor, & pituita tantum redundant, ea tantum conueniunt, quæ vim diſcutiendi, ac digerendi habent, quę facultas maior, mel minor eſſe debet, prout opus eſt, vt eſt thus, myrrha, aloe, cinamomum, galanga, amomum, piper, zinziber, piretrum, ac cinis teſtarum ex oſtreis, vel hirūdinum exuſtarum, quæ omnia, vel ſingulatim, vel mixtim in tenuem puluerem redacta columellæ apponi poſſunt, aut ipſis melle mixtis gargareonem illinire, piper tamen inter cætera ſimplicia magis laudatur, & paſſim ab omnibus ferè vſurpatur. Aetius ex Philumeno proponit remedium quoddam, & eſt à mulierculis, frequenter in vſu receptum, vt quiſpiam, ſcilicet extremum pollicis ſui in pice liquida inficiat, alteraque manu ſincipitis capillos diſtendat, ac pice illinat, columellam enim confeſtim ſurſum retrahi pollicetur; nec probare poſſum, hac in parte Auicennam, ac Meſue, qui aiunt caput illiniendum eſſe cum ſucco acatiæ, nam hic ſuccus intemperiem, capitis frigidam magis augere poteſt. Imo, vt talis intemperies, ac fluxio compeſcatur, vtiliſſimum erit, capiti apponere pulueres exiccantes, ac roborantes capitales dictos, aut caput lotionibus eaſdem facultates habentibus irrigare, ac abluere, ac etiam caput inurere cauſtico medicamento, ſeu candenti ferro. Quod ſi adhibitis, iam ſcriptis auxiliis columellæ affectio ablata non fuerit, ſitque oblongior, ac tenuis præter naturam, & loro ſimilis, propterea

quod alimentum non percipiat, ita vt tabæ ſeu atrophia laborare, ipſam merito dicere poſſimus, aut ſuperiori parte, qua palato eſt annixa, plurimum gracileſcat, fiat autem craſſior, ac rotunda ex inferiori parte, & ſimilis acino vuæ, eoq; peruenerit, vt tuſſim, ac vigilias admodum moleſtas inferat, periculumque ſuffocationis immineat, ferro, aut vrente medicamento abſcindi debet, iuxta Galeni præceptũ, modum verò inciſionis, aut vſtionis docent Aetius, Paulus, & Auicenna. Non debemus tamen præcipites eſſe, ac feſtinare ad illius exciſionem, vti monent Hippocrates, & Galenus, qui nonnulla animaduertenda eſſe docent, antequam manu fiat curatio.

lib.14. meth. ca. 13. lib.6. de comp. med. loc.² ſer.8. cap. 41. lib.6. cap.31. li.3. prog. com.21. lib.14. meth.

De cura vocis læſæ ob vlcus, vel os amotum palati, & a cauſis externis.

Cap. VI.

QVamuis ab acri, ac maligna quapiam fluxione poſſit palatum vlcere affici, & eius os erodi, ita vt concidat, aliquando tamen ex mala, ac venenoſa hydrargirii ſuffumigatione, & plerumque ex lue venerea communicata cerebro affectione id euenire conſueuit, quæ quidẽ mala, quoniam vocem deprauare, imminuere, ac demere poſſunt, præterquamquod liquorum hauſtus impediatur, vt inter bibendum per nares ipſi exeant, ſimulque naſus inſigni oſſis parte dempta, in turpem hominis deformitatem ſubſideat, totis viribus eniti debemus, vt huiuſmodi

Hip. li.4. epid. t.6. & 8. & 6. epid. ſec.1.

vlcera ſanentur, & aliqua induſtria foramen palati ex caſu oſſis repleatur, cum os minimè reparari poſſit, ſi itaque ratione praui ſuffitus excitata ſint in palato vlcera, in principio collui poſſunt, cum aliquo refrigerante, ac aſtringente, vt ♃.fol. ſonci. portulacæ plantaginis an.m.i.hordei m.s.bulliant in s.q.aquæ fontis, cuius decoctionis ♃. lib.i. ſyr.myrtini, diamoronis an.℥.ij. aut fiat collutio cum lacte chalybeato, quod eſt præſtans auxilium, vel ♃.aquarum plantaginis portulacæ an.lib.s.diamoronis, ſyr.roſati, de roſis ſiccis an.℥ ij.& remiſſa inflammatione, ac dolore ſedato adhibeantur in ſimil. ea quæ etiam abſtergere poſſunt, & magis exiccare. Quod ſi vlcera ratione virus gallici ſint excitata, præter peculiaria antidota, quibus tabes illa profligari valet, adhibenda ſunt etiam ea localia, quæ ad ſanationem horum vlcerum, quam plurimum prodeſſe poſſunt, vt eſt hoc, quod ♃.fol.plantaginis roſarum an.m.i. hordei cum cortice ℥.i.s. aluminis rochæ ℥.s. bulliant ex arte, & decocto per colum transfuſo, adde pro qualibet libra mellis roſati ℥.iij.quo vlcera poſſunt madefieri, vel ♃.olei ſulphuris ʒ.i. aquæ roſarum ℥.i s. quantitas verò olei eſt augenda, pro vlceris augumento, ita vt quandoq; æqua ſit portio olei, & aquæ, nonnunquam oleum ſuperet aquam, & ſi vlcera depaſcāt magis, ſumatur oleum ſimplex, nil enim eo eſt efficacius, madefit enim goſſipium in acumine ſpecilli poſitum, cum quo vlcera tanguntur; & poſtea os colluitur cum aquis refrigerantibus, vt

cura vlcerum palati ex prauo ſuffitu.

cura vlcerum ex gallico morbo.

inflammatio, ac dolor prohibeatur, aut loco huius olei adhiberi poteſt oleũ chalcanti, quod etiã eſt efficacius: Fallopius proſperis euentibus vtebatur, de coctione quadam ex alumine, argento ſublimato, aqua plantaginis, ac roſarũ facta, quæ ſi nimis efficax eſſet, cum eiſdem aquis mitior fieri poteſt. Amati verò Luſitani expertũ erat hoc, ℞. aquæ plantaginis ℥.ij. roſarum ʒ.i. viridis æris ʒ.s.mis. & ad ignem parum calefiant, cui etiam addere conſueuerat, aliquando tutiæ præpar. ℈.iiij. Chirurgici paſſim vtuntur, ad depaſcentia, ac putredinoſa vlcera, vnguento ęgyptiaco, quod quidem cum vnguento roſaceo miſceri poteſt, aut diſſolui cum aqua plantaginis, & addendo etiam mel roſatum; hodie felici cum ſucceſſu experitur præcipitatum vnguẽto roſaceo mixtum, vel alia ratione. Animaduertendum tamen eſt in vſu horum medicamentorum vrẽtium, ne quidpiam ex iis delabatur in ventriculũ, aut aſperam arteriam, hac enim de cauſa, Galenus prohibet vlceribus oris huiuſmodi medicamenta; quæ ſi nõ conferãt, & os corrumpatur, erodaturque, vt de oſſis caſu ſit timendum, nihil præſtantius, ac vtilius eſt, quam palatum inurere, aut ferro candenti, aut fungis, Hippocrates tamen in carne ferrum, in oſſe verò fungum magis laudat. ſi autem tanta oſſis portio ſeparata ſit, vt minimè ſperãdũ ſit, cum ſarcoticis carnem ſubnaſci, quæ replere foramen queat, & oſſis defectum ſupplere, adhibẽdum eſt aliquod artificiũ, quale eſt illud, quod Hipp. docet, ſpongiam nempe indendam eſſe, vt hac

remediũ Hipp. li. 2. de morb. n. 32. lib. de loc. in homine. lib. 2. de morbis.

vt hac ratione ægrotus vocem edere, bibere, ac edere poſſit. Poſteriores Hyppocratem imitãtes, iubent foramẽ repleri cum goſſipio, aut cera, aut argento, vel auro, parato inſtrumẽto ad foraminis magnitudinẽ, quod quotidie remouetur, vel detergitur, ac denuo aptatur. Amatus Luſitanus excogitauit inſtrumentũ quoddam, vt ſcilicet ex auro, vel argento, aut ſtanno fabrefiat clauus, cuius caput ſit rotundũ, latum, vt vniuerſam foraminis circũferentiam cõtegat, cuſpis verò parua admodũ, & rotunda, in cuius medio auricula lentis modo promineat, in qua claui cuſpide, ſiue ſpica ſpongiola adaptetur, quæ ſimul intra foramen ab ęgrotãte mittatur, quę humiditate tumida inibi fixa manet, ſingulis verò diebus, bis veſperi, & mane inſtrumentum deponitur, ſpongiolaquę cõprimitur, ac lauatur, & iterũ intromittitur, ex quo adhibito inſtrumento, græcus quidem nobilis, vt ait Luſitanus, ita concinne, & eleganter loquebatur, ac ſi nihil mali vnquã perpeſſus eſſet, & eo depoſito, vox in totum deficiebat. Scipio Mercurius in lib. de morbo gall. à Ioanne Cechio medico clariſs. ac præceptore meo ex Fallopii inuentione docet aliud genus inſtrumenti, quod naribus mediis quibuſdam funiculis committitur, & congruum eſſe illis exiſtimo, quibus ita exeſum eſt os, vt inſtrumentum palato adhærere non poſſit, neque affigi.

Tandem, ſi vox rauca ortum habeat ab aliqua cauſa externa, ex his, quæ in capite proprio retulimus, cõfeſtim debet vitari, ac remoueri, morbi *Cura raucedinis à cauſis externis.*

enim, qui à cauſis externis excitantur, ſi leues ſint, ac recẽtes, ablatis cauſis aboleri ſolent, quod ſi tamen ſuperſit aliqua intemperies, ad ſuperiora capita confugiendum eſt, in quibus de curatione cuiuſcumque intemperiei egimus.

Remedia ad vocem imminutam, ac deperditam.

Cap. VII.

Circa curationem imminutæ, & amiſſæ vocis non eſt quod immoremur, cum ex curatione aliarum affectionum, cum vocalium inſtrumentorum, tum aliarum partium dependeat, de quibus hac in parte agere, haud debemus cum ad noſtrum inſtitutum non pertineat, nonnulla tamen remedia à Galeno, & aliis grauioribus auctoribus relata deſcribemus, quibus pro cauſarum, ac euentuum varietate adhibito ſtudio vti poterimus; Galenus itaque ex Antonio Muſa, ad vocem interceptam, ſi braſſicæ viridis cauliculi depurati manducentur, & ſuccus deglutiatur, aut braſſicæ ſuccus, cum melle decoctus exhibeatur confeſtim auxiliari ſcribit. Præterea ſucci eryngii in aqua decocti, heminas duas excipit, & ſucci ficuum in aqua coctorum tantumdem, quibus addit gummi ſubtiliſſimè diſſoluti ʒ.viij. quibus diligenter coctis ad arteriacæ ſpiſſitudinem, ituris cubitum ad cyathi mẽſuram, miſturam deligendam præbet. Ex Charixene verò, ad vocis ſonum fractum, vocem interceptam, & raucam ℞. croci ʒ.ij. ſucci cyrenaici ʒ.i. melli attici cyath.vi. mel

lib.7. de cõp. med. loc. cap.2.

coqua-

coquatur, & vbi ſpiſſatum fuerit, reliquis admiſceas, quo vtere. Alia confectio ad arteriam exaſperatam, & vocem interceptam ℞. tracagáthæ, gummi thebaici, vtriuſque ʒ.iij. myrrhæ thuris, non ſecti an.ʒ.i. & obolos iij. croci ʒ.i. ſucci glycyrrhizæ obolos iij. phœnicobalanorum trium carnem, paſſi protropi, aut cheræi, quod ſatis eſt, his excipiẽdis decoquatur ad craſſitudinem mellis, & exhibeatur ad fabæ ægyptiacæ magnitudinem ſub lingua tenenda, & diſſoluta trãſglutienda. Item ex Scribonio largo hypogloſſis, hoc eſt medicamentum ſub lingua tenendum, ℞. croci therebentinæ an.ʒ.xviij. iridis illiricæ ʒ.xvi. tracaganthę ʒ.viij. piperis grana 360. excipe melle cocto, & therebentina ſimul cocta vtere. ex eodem ℞. glycyrrhizæ ʒ.viij. myrrhæ ʒ.xxiiij. terebentinæ ʒ.xxxij. tracaganthæ ʒ.xxxviij. arida per ſe ſingula tundito, ac cribrato, reſinam vero in pilam coniectam tundito, arida ad ipſam inſpergendo, deinde exunitis omnibus paſtillos formato fabæ ægyptiacæ magnitudine, quos in vmbra ſiccato, atque vſus tempore vnum, vel duos ſub lingua tenendos dato. Alia Dioſcoridis, quæ ℞. croci, myrrhæ, tracaganthæ, radicis dulcis an. ʒ.i. nuces pineas repurgatas, amygdalas mundatas an.n.60. excipe melle cocto detur nucis ponticæ, magnitudine ſub lingua tenendum. Ad vocem interceptam ob cõtentionẽ, & eſt moderatũ medicamentũ, & aptum à principio, à Critone conſcriptum, quod ℞. ficus, & eryngium probè cocta, & cum decocto gummi melle durior con-

fectio fiat, ad noctem dandam; multa alia Galenus ſcribit ex antiquioribus medicis, quæ conſulto prætermittimus; Alibi etiam ad vocem ſubmiſſam, ac interceptam nonnulla proponit, vt ſulphur, ignem non expertum, in ouis deuoratum cochleariorum duorum, aut trium pondere, aliud quod ♃. amygdalas am. n. 20. ſem. lini aſſi ʒ iiij. tracagãti hæ, aqua maceratæ ʒ. ij. nucleos pini 30. quæ melle excipi debent, item ♃. pulegii ʒ. iiij. ſem. lini, piperis, calamenti an. ʒ. iij. petroſelinii ʒ. ij. mellis lib. i. Ad vocem amiſſam, & arteriam aſperam, ♃. tracaganthi, gummi, myrrhæ an. ʒ. i. ſucci radicis dulcis vini an. q. s. omnia contuſa, in vnum redige, cum trita fuerint arida, cum reliquis miſce; ſtyracis aquæ maceratæ, ac in globulos redactæ, ſi tres exhibeantur, ſtatim vox recuperabitur. Auctor libri de Dynamidiis diapenidium magnum, cuius deſcriptionem tradit, vocem ex calore deperditam perfectè reparari, teſtatur. Alii ad aphoniam ſubito factam vtuntur hoc, quod ♃. garyophyllorum nucis myriſticæ, caſtorei an. ʒ. i. fiat puluis tenuiſs. cuius ʒ. i. exhibeatur cum vino calido, aut ♃. macis, croci, caſtorei, an. ʒ. i. fiat puluis, quo vtere cum vino. ſuccum herbæ paralyſis potum opem ferre exiſtimatur, & pulegium ex aceto tepido potatum, & naribus etiam appoſitum, loquelam amiſſam ſtatim reſtituere. Ad vocis vero obſcuritatem, & ſuffocationem ortam à multitudine humoris defluentis, ad ſpirituales partes, commendatur theriaca cũ vino exhibita, gummi hęderæ cum melle diſſolu-

lib. de med. fac. parab. ad Solonem cap. 20.

lib. 3. de med. fac. parab. cap. 18.

cap. 31. & cap. 242.

diſſolutum, & linguæ illitum, ſtatim ſermonem reſtituere aiunt. Pro loquela impedita quidam ſuccum origani auribus infundunt; modicum olei ex chalcantho cum pauca aqua roſacea potum, ſermonem amiſſum reſtituit, ſuccus rutæ ſylueſtris naribus ſæpe infuſus, deperditam loquellam reuocat, idem pollet ſuccus betonicæ exhibitus, & dictamum ex vino ſumptum, laudant, & ocymum, & rutam, & multa alia: quibus omiſſis, Deo Optimo Maximo gratias agimus, qui vt cæptum, ad eius honorem, & proximi vtilitatem, laborem hunc perficere poſſemus, vires ſuppeditauit.

Pſal. 113. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Finis Libri ſecundi.

PRO MAGNIFICO, ET EXCELLENTI DOMINO, N. LOCVMTENENTE.

QVAMVIS Medici officium ſit, omnibus arte medica egentibus humaniter ſuccurrere, illis tamé præcipuè ſtudium ſuum nauare debet, qui vitæ, morumque præſtantia alios antecellunt, & reipublicæ vtiliores ſunt, præſertim, vt integrè illud munus obire poſſint, in quo & multis prodeſſe valent; ea propter, cum Magnifico, & Excellenti Viro, moribus integerrimo, ſapientia, doctrinaque præſtantiſſimo, aliis præeſſe, ac ius dicere, frequenter contingat, munerique ſuo minimè, vel maxima cum difficultate ſatisfacere poſſit, cum vocem imminutam valdè, & raucedine affectã habeat, exoptãs ab hac moleſta affectione curari, & quęnam ſint opportuna remedia, pro hoc difficili malo profligando, à me ſcire: non potui, pro mea in eum obſeruantia, deſiderioque rem gratam ei faciendi, & vt publicæ vtilitati conſuleretur, voluntati ſuæ, non morem gerere, & quid hac in re prodeſſe poſſem, periculum facere; cum autem morbi curationem, illius, & cauſſarum morbum procreantium cognitio præcedere debeat, ſemper, ſi cum ratione, & tutò curari habet, cum affectio ſit ſatis ſuperque aperta in ea indaganda,

non

non eſt quod ſim ſolicitus, ſed quam plurimis cauſſis, dumtaxat à qua cauſſa ortum duxerit, ſcire ſtudendum, cum ab internis, tum externis excitari conſueuerit; nullam autem procatarcticam cauſam morbũ prægreſſam fuiſſe, ab eo perbellè didici, & à ſola interna principium, & augumentum ſumpſiſſe cognoui; ex quadam enim febre continua maligna, ac diuturna, ex qua multis abhinc menſibus, in vitæ maximum diſcrimen incidit, labefactatæ fuerunt partes principes, & præcipuè cerebrum, quod cum præ inopia caloris, & illo etiam à nimia humiditate, qua ab ortu abundauit obruto, proprium alimentum, ægrè, ac diminutè concoqueret, humiditatemque excellentem minimè abſumere poſſet, multa ſuperuacaneorum ſuccorum copia, in capite fuit collecta, ex qua virtus expultrix irritata, & natura ſagax de principis partis incolumitate ſolicita ad infernas partes detruſit, inter quas cum organa vocalia eſſent ab ortu fortaſſe, vel ex morbo progreſſo ſatis debilia, & membro mandanti valde proxima, facilius irruentes deſubtus humores recepit, à quibus ſuperficies laryngis madefacta, vox raucedine eſt affecta, cum ictus exufflationis retundatur, ex quo ſonus ille raucus efficitur, neque dubitandum eſt, & neruos præcipuè recurrentes, dictos ex continua, ac longa fluxione, morboque anteacto refrigeratos eſſe, & aliqua ex parte obſtructos, cuius ratione cũ conueniens copia ſpirituum, ad vocalia inſtrumenta amplius non tranſmitteretur, non eſt mi-

rum, ſi etiam vox valde ſit imminuta; Defluxus verò iſte, abſque controuerſia, fit ex pituita frigidiori, ſicut ex excretis eſt manifeſtum, nec non ratione conſentaneum, à frigido enim, & humido cerebro, niſi ſuccus iiſdem qualitatibus præditus emanare poteſt, ſi effectus ſuis cauſſis æquiparari debent; præterea cum affectus ſit diuturnus, vt iam per annos ferè exordium habuerit, non poteſt cauſſa illius eſſe non frigida, vt eſt
ſec.1. t.8. docta Hipp. ſententia in 6. Epid. In Cranone dolores antiqui frigidi, recētes calidi, & licet nullus dolor adſit, vel adfuerit in nobili Iuriſconſulto locumtenente, veritatem tamen ſortitur hæc ſententia, etiam de his diſpoſitionibus, quæ aptæ
com.6. ſunt dolorem facere, vt doctè expoſuit Galenus, lib. 2. aph. Hic igitur humor frigidus, & humidus, cum ſit in multa copia, minimè in his partibus generari licet iudicare, ſed in capite, quod antiquiores medici pituitoſi humoris ſedem, & artem nuncupabant, deſcedere arbitrandum eſt; cerebrum enim, quod ab ortu in Excellēti Viro eſt humidum, nimis quam conueniat, humidius etiam redditur ob ſtudia, & labores, atq; aſſiduas ſollicitudines, quibus deditus abſque vllo aëris, locorum, ac ciborū delectu, traducere cogitur, in toto enim ipſius corpore, particulatim verò in ventriculo, multa excremēta cruda colliguntur, ex quibus cerebri humiditates, auctæ deſtillationes magis copioſæ, ac deteriores fiunt, quæ inter alia damna potiſſimū vocem lædāt. Quid autem ſit ſperandum in hoc negotio, vt verum ingenuè

fatear

fatear, difficillimum, ne dicam impoſſibile fore ego exiſtimo, vt amiſſa iam pro parte vox reſtituatur, claraque reddatur, quia affectio eſt antiqua, & firmas admodũ iecit radices, raucedines enim tranſacto ſexto, vel duodecimo ad ſummũ menſe, vix curam, vel curationem nõ admittere, experientia comprobatum eſt; auget autem difficultatem, cum non vno dumtaxat vitio, verum duobus vox ipſa laboret, eius enim actio nõ ſolũ eſt deprauata, ſed etiam imminuta, & duo morbi ſimul eandẽ partem obſidentes difficilius curentur, quàm vnus tantũ, imbecillitatem enim inſignẽ partis affectæ, & cauſæ magnitudinem oſtẽdunt; ſed quamuis difficilis, dubiaq; ſit curatio, ab ea tamen abſtinere non debet, cum ſit in ætate, adhuc ferè iuuenili conſtitutus, in qua ob virium fortitudinẽ validiora remedia admoueri poſſent, in proximoq; ſit tempus valdè opportunum, ad contumaciores etiã morbos depellẽdos. Ad medica autẽ auxilia, quamprimum cõfugere debet, nõ eo conſilio dumtaxat, vt à præſenti affectione ſanetur: verum etiam à deteriori lapſu, grauiorique morbo præſeruetur; niſi enim cauſæ affectus procreantes ſaltem imminuantur, imminet periculum, ne impoſterum vox magis rauca euadat, & penitus deficiat, cum enim larynx, vt memoriæ prodidit Galenus ab iis, quæ à capite decidunt, madefiat, principio quidem rauca fit vox, procedente tempore pauca, & ſi longius procedat malum, tota aufertur. Ea propter ſi vox reſtitui, claraque reddi debet, *de ſan. tuen.*

primum oportet humores vocalium iuſtrumentorũ penitus abſumere, omniq; opera niti, ne alii humores, à capite ad eam partem cõfluant, quod facilè obtineri poterit, ſi pituita in capite cumulata euacuetur, alioque euocetur, nec non prohibeatur, ne denuò alia progignatur, idque fiet cerebrum exiccando, & moderatè calefaciendo, ſi quæ crudiores ventriculi exhalationes ſurſum attolli conſueuere, intercipiantur; Quoniam verò iſta minimè conſequi poſſumus, niſi vniuerſum corpus prius expurgatum fuerit, vniuerſalia etenim particularibus præmitti debent, ideò primo loco cogitandum erit, de totius corporis euacuatione, ita vt pro abolenda hac difficili affectione, hæ ſint indicationes, in ordine executionis proponendæ, corporis totius, moxque capitis euacuatio, humoris infixi, in organis vocalibus attenuatio, inciſo, ac reſolutio, capitiſq; nec non ventriculi roboratio, ad quæ exequenda, valdè neceſſariũ eſt, tempus opportunum eligere, quod erit proximũ ver, & ipſius principium, cùm ratione cauſſæ morbificæ, tum ratione longioris curationis; cum enim ineunte verè humores frigidi magis abundent, tunc etiam educi debent, vt eſt Galeni ſententia, cumque curatio pro contumaci morbo profligando, diu ſit protrahenda, & cum calidis perficienda ratione iecoris, vniuerſique corporis calidioris, tempus calidum cauere debemus. Cum itaque euacuatio totius corporis, primo loco ſit instituenda, cum humor exuberans ſit frigidus, & craſ-

lib. quos, quando, &c.

ſus

craſſus, & in penitiori, ac frigido membro iniectus, à ſimilique tranſmiſſus, hæc nobis patefaciunt, & qualitatem, & robur medicamentorum, quæ adminiſtrari debent; qualitatem enim habemus ab humore, robur verò à loco affecto, pro quibus adminiſtrandis talis ordo ſeruari debet, vt primo loco aluus leniatur hoc medicamento:

℞. Elect. lenitiui,
Flor. caſſiæ nouiter tract. an. ℥.s.
Specierum Hyeræ ſimp. ʒ.ij.s.
Miſc. & cum ſacch. f. Bolus, vel loco illius,
℞. Mellis roſa. ſolut. ℥.v.
& cùm decoct. cord. quantum ſat eſt, paretur potio, à qua mox humores præparentur ſubſcripto ſyrupo.
℞. Oxymel s.
Mellis roſati colat.
Syrup. de liquiritia,
Syrup. de ſucco betonicæ nemoralis an. ℥.s.
Decoct. capillorũ veneris, betonicæ nemoral. Cicorii,
Bugloſſæ ℥.iiij. Miſce.

quem poſtquã per aliquot dies, vt moris eſt, acceperit, humores præparati educantur hoc pharmaco.

℞. Mel. roſ. ſolut. ℥.iiij.
Elect. de dactilis ʒ.ij.s.
& cum ſupraſcripta decoctione fiat potus, vel:
℞. Diacatholicon,
Flor. caſſiæ an. ℥.s.

Agar.troc.ʒ.i.

Diaphæniconis ʒ.i.s.

& cum ſaccharo fiat bolus in diluculo aſſumendus.

Peracta hac leuiori vniuerſi corporis euacuatione, caput peculiariter erit expurgandum, non quidem per apophlegmatiſmata, traherent enim humores ad partem affectá, ſed per errhina, quæ à principio leuia eſſe debent, ne imbecillo capiti vim inferant, humoresque diminutè, vel parum concoctos exagitēt, quale eſſet ſubſequens à me experientia comprobatum.

℞. Aquæ ſtillatitiæ maluarum ℥.iij.

Aceti ſcyllitici ʒ.iij.

huius portiunculam ſingulo die per horam, vel alteram etiam per nares attrahat non ſemel, ſed etiam bis, prout erit opus. Quę autem ab aliis laudantur, ſunt ſuccus Betę, ſuccus radic. cyclaminis, ſuccus betonicę, amaraci, vel aquę eorum vi ignis elicitæ, ſi cum aliquo leniente medicamento eorum vis refringatur, vt eſt decoctum Camomillæ, aqua hordei, aqua violarum, vel etiam aqua ſimplex tepida, poſt vſum verò naſalium, ſi nimia mordicatio ſubſequeretur, foueatur locus cum aliquo ex iam ſcriptis lenientibus tepido, vel lacte ſimiliter tepido. His præmiſſis, cogitandum erit de Arteriacis medicamentis, quæ ore accepta, vel ſub lingua retenta, & peculiariter Hyppoglottidis nuncupātur aſperæ arteriæ, ſummum id quod ipſum defluit, ſuſcipiat, quæ pharmaca craſſitiem, ac viſciditatem humorum fluxorum incidere, ac

attenua-

attenuare debent, vt per hæc reſolutioni, & euacuationi præparentur. ideò vſus ſucci liquiritiæ, ſeu eius ſyrup. ſucci braſſicæ cum melle loch ſanum, & expertū loch de pino idoneus eſſet, vel ſubſequētis à me inquam plurimis experti, quod

℞. Succi braſſicæ depurati ℥.ij.
Penidiarum ℥.i.
Oximelis ſimp. quantum ſatis eſt.

Miſc. & fiat Eclegma, quo ſæpè lambendo vtatur.

Hęc verò ex induſtria adhiberi debent, ne tuſſis excitetur, fiet autem ſi ſupinus cubet, vt docuit Galenus. Interim dum hæc adminiſtrantur, humores exuberantes rurſus veniunt præparandi, cum his quæ magis habent inſignem facultatem attenuandi, & incidendi, vt eſt ſequēs potio: *4. meth. & 7 de cōp. med. loc.*

℞. Liquiritiæ expurgatæ & inciſæ ʒ.ij.
Caricarum ping. n. iij.
Fol. hyſſopi,
Betonicæ,
Flor. ſtœcadis an. m. i.
Cicoreæ,
Boraginis an. m. s.

Miſc. & fiat decoctio ex arte, cuius per colum transfuſi ℞. ℥. iiij.

Syr. de ſtœcade,
De Betonica,
De liquiritia,
Oximelis s. an. ℥.s.

Miſc. qua potione nonnullis diebus accepta, medici præſentis iudicio exhibeantur, catapotia de

agarico, aggregatiuaq; ſimul ad ℈.iiij. cum melle roſ.ſol. refecta, vel

℞. Decoctionis cordialis ℥.iij.
Agarici troſic.℈.iiij.

Infundatur ex arte, & facta fortè expreſſione, adde

Mellis roſ.ſolutiui ℥.iiij.
Diaphæniconis ʒ.ij.

& in potu exhibeatur ſummo mane.

Qua facta euacuatione, ad magis valida vocalia erit confugiendum, quo humor inhærens in aſpera arteria, & eius ſummo abſumatur, vt eſt ſupraſcriptum lintuariū, ex ſucco Braſſicæ, & penidiis paratū, ſi loco oximellis s. oximel. ſcylliticū ſubſtituatur, & ſubſcripta decoctio in multis cōcionatoribus branco laborantib. ex vſu à me inuenta.

℞. Ordei optimi cum cortice,
Paſſarum enucl. an.℥.i.
Liquiritiæ mundæ, & inciſæ ʒ.ij.
Caricarum ping. num. vi.
Capillorum Veneris,
Hyſſopi an. m.s.
Sem. Braſſicæ ʒ.ij.
Pinearum recentium ℥.s.

fiat omnium decoctio in aqua fontis, quantū ſatis eſt ex arte, & pro qualibus libra decocti colo transfuſi adde mellis deſpumati ℥. i. zucchari candi ℥.s. quo ſępè, ac ſępius vtatur, vt ſcriptū eſt.

Peracta ſecunda euacuatione, pro deriuatione humoris, à membro tum mādāte, tum recipiente,

te, laudo fonticulum paratum in brachio ſiniſtro, & ſe tamen collo infixum, vel ſi minus tormẽtum velit pati, alterum fonticulum, ferro candenti in Inio adhibitum, ex hac enim continuata euacuatione, poterit ſperare partis læſæ inſigne alleuamentum; & quoniam iſta parum prodeſſe poſſent, niſi membrum primario affectum, mandanſque ſimul exciccentur, atque corroborẽtur, ideò completa prima euacuatione, ventriculus cum oleo maſticino, de ſpica, ac de abſinthio erit fouendus, & corrigendus, ſi tamen prius cũ guttulis duabus, vel tribus eliſir, vel aquæ ardentis madefiat ad penetrationem olei; & poſt alteram purgationem cum oleo, ex deſtillatione aniſorum, vel ex caryophyllis, vel ex nuce myriſtica; aut ex opobalſamo ſeiunctim, vel duobus ſimul mixtis. Pro cerebri corroboratione, & exiccatione ex communi vſu laudantur condita ex betonica, ſaluia, rore marino, & alia eius generis, antidota etiam magna, theriaca nempè, & mithridatica, ſed mihi commendatur magis decoctum ſarzæ periliæ vna cum Indica illa radice, quæ ſaſſafras vocatur, ſi per quadraginta, vel triginta dies ſaltẽ exhibeatur; quod in aſſumẽdis illis humiditatibus cerebro ventriculoque roborando plurimum valere experientia quotidiana docet, igitur:

℞. ſarzæ periliæ, vino albo ablutę ℥. iiij.
Radicis ſaſſafras, recentis in minutas partes inciſæ. ℥. v.
Aquæ fontis claræ. lib. xij

Infundantur per horas 15. ex arte, deinde permittantur decoqui, quouſque abſumpta ſit tertia pars, quam decoctionẽ in primis tribus, vel quattuor diebus ſemel tantum, poſtea verò bis in die aſſumat, ſed veſperi in minori quantitate, & ſimul ſudor quantum fieri poteſt, ſine tamen violentia prouocetur, quantam enim vim ſudores habeant ad abſumendas omnes fluxiones, vnde excellentis viri affectio originem ducit, omnibus compertum eſt, ideò in hac medicatione quanto diutius perſiſtetur, tanto magis quod optamus, illi euenturũ eſſe ſpero, præſertim ſi quarto quoque die caput abluatur cum lixiuio, in quo decocta ſint ſtœcas, camomilla, cortix citri, & agaricum, & in ablutione lixiuium cadat ſuprà caput ab alto, & perſeueret in hac capitis lotione quouſque decoctum aſſumit, vel etiam paulò plus ſi placet. Quod ſi omnibus his ritè adhibitis priſtinam ſalubritatem non reciperet, tunc non improbarẽ ſtillicidia aquarũ thermalium ſupra ſuturam coronalem dictam per vigintiquinque adminus, vel ad triginta dies adminiſtrata, & inter alia lucẽtia mihi ſũmopere cõmẽdantur, ex quorum vſu etiam nonnulli teſtantur vocem recuperaſſe. Quò ad victus rationem, quam illi ab aliis medicis pluries præſcriptam eſſe ſcio; duo aut tria dumtaxat indicaſſe ſufficiat, clamorem nempe vociferationemque, in qua ratione officii ſæpiſſimè erumpit, ſicut & caput aëri intemperato diu, ac frequenter exponere non modicum toti curationi obeſſe poſſe, & ideò operam dare

debet,

debet, vt parum, ac placidè loquatur, & potiſſimum ſumpto cibo, ne guttur excellenti motu calefactus, ac imbecillior factus magis attrahat, fuſaque in cerebro pituita præceps ad eum decidat, necnon ab aëre humido, ac frigido, ventoſoque quantum fieri poteſt, caueat; præterea parum potare ſemper, ac parcè cænare adnitatur, nec vnquam poſt aſſumptum cibum legat, aut ſcribat. At hæc ſunt, quæ habui ſcribenda, pro reſtituenda, ac corrigenda voce Excellentis Viri, cui Deus Optimus Max. optata concedat.

Baptiſta Codronchius Medicus Imolenſis.

BAPTISTAE CODRONCHII PHILOSOPHI, AC MEDICI IMOLENSIS, METHODVS TESTIficandi, in quibuſuis caſibus medicis oblatis:

IN QVA NONNVLLAE DIFficillimæ, ac pulcherrimæ quæſtiones explicantur, & formulæ quædam teſtationum proponuntur.

Opuſculum non modo neotericis medicis, ſed & Iuriſperitis, ac Iudicibus, plurimum ex vſu.

INDEX CAPITVM.

QVa ratione morbũ ſimulantes ſunt à medico deprehendendi, & quinam ſint morbi, quos potiſſimum fingere ſolent. cap. 1.
Aegrotantes acuto præcipuè morbo, in cuſtodia poſitos, non niſi maxima cum difficultate, ipſorumque ſalutis diſcrimine, curari poſſe 2
Traditur primo methodus vniuerſalis teſtificãdi cũ in ægrotantibus, tum in vulneratis, ſecundo particularis in ægrotantibus, vbi quot in eorum prognoſtico attendenda ſint, patefit, ac de morborum generibus, quantitate, ac qualitate, nec non de ſignis ſalubribus, ac exitialibus agitur 3
Quanam ratione de vulnerato teſtificandum ſit, vbi de ſignis, ac iudiciis vulnerum agitur 4
Quibus notis vulnera à venenatis armis illata, vel veneno infecta dignoſcantur 5
Mortis, ac ſymptomatum repentinus euentus, an veneno exhibito, vel corruptioni humorum ſit aſcribendus, vbi de ſignis venenorum in genere, & in ſpecie tractatur, ac de ſignis mortui ex veneno 6
Venena dare, vel vendere prohiberi, quæ enumerantur 7
Vtrum qualibet veneni quantitas hominem iugulare poſſit 8
De pubertate, ac ſignis pubertatis 9
De iis qui concumbere non poſſunt, ac de cauſſis 10

Virginem incorruptam eſſe, quibus poſſit deprehendi 11
Quibus ſignis mulier grauida dignoſcatur 12
Vtrum medicus cognoſcere poſſit mulierem partum abegiſſe, ac de medicamentis abortiuis 13
Vtrum mulier poſt decimum menſem parere poſſit, & partus ille ſit legitimus 14
Nonimeſtris partus mulieris, quæ viro defuncto poſt paucos dies alii nupſerit, cuius ſit cẽſendus 15
Quaſdam mulieres quinquagenarias concipere poſſe probatur 16
Diſſimilitudo nati ad parentes, an ſit ſufficiens argumentum adulterii, ex quo de cauſſis ſimilitudinis, ac diſſimilitudinis filiorum cum genitoribus agitur 17
Formulæ quædam teſtimoniorum 18

AD ME-

AD METHODVM TESTIFICANDI, BAPTISTÆ CODRONCHII MED.

Præfatio.

QVAMVIS *artis medicæ dignitatem ac præſtantiam, vetuſtatis, originiſque ſplendor, conſtituẽtium claritudo, profeſſorum excellentia, varia, ac multiplex rerum arcanarum cognitio, ſubiecti nobilitas, finiſque vtilitas, ſatis ſuperque patefaciant, illud tamen auget non leui argumento medicinæ gloriam, quod & Cæſarearum legũ maieſtas, & pontificiarum auctoritas ſeſe vltro medicorum iudicio ſubmittant, velut in quæſtionibus pubertatum, partuum, ac veneficiorum. Item in quæſtionibus aliquot ad matrimonium faciẽtibus, & multis aliis, agitur de capite hominis, & iudicis ſententia pendet ex medici præiudicio: ſummi Põtificis pietas ſi quid indulget, in nonnullis non aliter indulget, niſi medicorum accedat calculus. Diuus etiam Auguſtinus ex medicorum conſilio fieri iubet, quod faciendum eſt, etiamſi nolit ægrotus. Quapropter cum*

in tot ſeriis, ac grauibus rebus iudicium medicorum exquiratur, nunquam probare potui illos, qui ſententiam ſuam vulgari idiomate, ſine arte, eiſdemque verbis ſemper ſcriptis tradunt, id enim medicinæ amplitudini derogare videtur, quæ cum facilè cæteris artibus præſtet, vilior tamen tabellionum arte efficitur, cuius artifices inſtrumenta, ac publicas alias, priuataſque ſcripturas latino ſermone ex iuris regulis conficiunt; Cum autem à nemine, quantum ego ſcio, hucuſque literis tradita ſit methodus, ſeu ratio apud iudicem, in qualibet occaſione oblata opinionem ſuam in ſcriptis proferẽdi, libenter ipſe hanc prouinciam ſuſcepi, vt iunioribus medicis, (doctis enim, & in arte verſatis iſthæc non ſcribuntur,) aliquid pro virili mea prodeſſe poſſem; & quoniam varia eſt in dicendo teſtium ratio, propter euentuum diuerſitatem, de quibus ſuis locis verba faciam, prius cõmunem, certamque proponẽdi, ac iudicandi methodum circa ægrotantes, ac vulneratos aperiam, quam quiſque in omni propoſito caſu ante oculos habeat, vix fieri poterit, vt in errorem ducatur, & vt facilius iuniores medici finem propoſitum aſſequi poſſint, & in particularibus exerceri, quædam exempla proponam aliquorum euentuum

tuum

tuum, in quibus teſtificari mihi contigit, ad quorum præſcriptum facillimè, ac pro artis dignitate in caſibus proponendis, ni fallor, ſatisfacere poterunt. ſi tamen prius, qua ratione morbum ſimulantes ſint cognoſcendi, & ægrotantes in cuſtodia poſitos, nō niſi maxima cum difficultate, eorumq; diſcrimine curare poſſe, explicauero; ſpero enim hac leui mea induſtria, non ſolum tyronibus in medicina, verumetiam cauſſarum diſceptatoribus aliquid profuturum eſſe, qui iudices multa cognoſcent, vt non leui negocio à medicis, qui aliis indulgere, ſalutis ſuæ immemores, ſtudent, decipi poſſint, & ex veritate iudicare; quod ſi res ipſa à me, vt erat opus, non fuerit perfectè, & exactè pertractata, ſtrata tamen erit aliis via meliora inueniendi, ac luculentius explendi.

Qua ratione morbum ſimulantes ſint à medico deprehendendi, & quinam ſint morbi, quos potiſſimum fingere ſolent.

CAP. I.

QVi in carceribus coniecti, vel in iudicium vocati ſunt, vt è cuſtodia eximãtur, vel tormenta, aut iudicium effugiant, aut differãt, nonnunquam morbum aliquem ſimulare conſueuerunt, & vocatos medicos ad curationem, vel vt teſtimonium dicãt, facili negocio cum eorum dedecore, ac periculo rei familiaris, vel alterius diſpendii decipere, aliqui enim animi deliquio, ſeu ſyncopi, alii apoplexia, vel ſi ſint mulieres, vteri præfocatione captas ſe eſſe fingunt, nam vinculis ita arctè brachia conſtringunt, vt pulſus ad tactum non percipiatur, vel vix percipiatur, & ſi etiam leuiter pungantur, aut vellicentur aures, perferunt, & altius vocati non reſpondent, medicus ergo accerſitus, interrogare debet, an ſpeciem gerens animæ defectionis, alimento diu caruerit, ſi ſanguinis copioſa euacuatio ex aliqua parte præceſſerit, ſi alui fluor aliquis, vel vomitus immodicus, vel ſudor, vel etiam vrinæ, aut ſi morbus aliquis antegreſſus ſit, ſi in loco calidiſſimo, vel aliqua praua qualitate affecto, ſi ſit puſillanimis non aſſuetus perturbationibus, ac mo-

ac moleſtiis agitari, & ſi timore valido, vel multa mœſtitia affectus ſit; & quoniam miniſtri domeſtici potiſſimum in his caſibus multa falſa referre poſſunt, vt ſimulatum morbum medicus pro vero arbitretur, ideò ipſe alia debet animaduertere, & primo ſi brachia vinculis intenta non ſint, ſi extrema ſint frigida, vel etiam in ſudorem frigidum prorumpentia, & præcipuè caput, facies, & collum, & ſi pulſus ſint inſenſiles formicantes vocati, vel exigui plurimum, languidi, & inæquales, vel etiam intermittentes, ſi debilis ſit reſpiratio, vel etiam frigida, ſi flos omnis faciei abierit, vel etiam ſi fortè excrementa exierint, hæc enim ſigna, vel omnia, vel aliqua illorum adſint, manifeſtè indicabunt, captiuum, ſeu alium, animi deliquium non ſimulare; Quod ſi apopletici ſpeciem referat captiuus, vel quiuis alius, cum ſimulantes morbum, motus, ac ſenſus carentiam, ſtertoremq; etiam fingere poſſint, & tanquam mortui, & oculis clauſis inſtar dormientium decumbere, ac reſpirationem cohibere, ita vt verè attoniti videantur, vt medicus deprehendere poſſit, an ſimulet, proponere, ac parare debet validiora remedia, clyſteres, medicamenta, ſectiones, ac vſtiones, quod ſi non reſipiſcat, digitos contorqueat, & acubus ipſum altius perforet: hac enim ratione, vel ſimulantem, vel ægrotantem cognoſcet, ſicut & mulierem fingentem vteri ſtrangulationem eadem arte deprehēdere poterit: Nonnulli

dolorem in aliqua parte ſimulare poſſunt, vt ingens, fereque intolerabilis eſſe videatur, quos cùm ex medicinalis experientiæ notionibus, tum ex ſolertia, vel prudentia cognoſcere licet, medicæ experiẽtiæ opus erit, ſcire, quæ victus ratio in ſex rebus non naturalibus vocatis præceſſerit, ex qua dolorem illum generari minimè potuiſſe, coniectari poterit, eo quod morbum leuius ferant, indicium ficti doloris ſumere licet; accidit enim ſæpe, vt ſcribit Galenus in libro huius argumenti, quòd in aliũm ſe, aliũmque habitum illi qui verè laborant, magnitudine videlicet agitati, tranſiiciunt; præterea ſi reuera morbo vehementi premantur, quoduis perpeti auxilium parati ſunt, efflagitantque ipſi medicos, vt agant quidquid illis lubet, vt quo affectus ipſe aboleatur; ſin verò leuiter, penituſue non dolent, huiuſmodi auxilia reſpuunt, neque longiora ieiunia, neque mordacium pharmacorum oblationem ferentes, quæ ſola quidem cum grauiter ſe laborare dicunt, huiuſmodi diſpoſitionibus conferre, illis affirmare oportet, tandem ex virium languiditate, extremorũ refrigeratione, faciei pallore, interdum ex frigido ſudore, pulſuumq; inæqualitate, paruitate, & obſcuritate, nec non ex recta ægrotãtis, de ſpecie doloris, interrogatione, facilè ipſos reuera ægrotantes eſſe, deprehendere licet; Aliqui ſunt, qui varios tumores, ſeu tumefactiones, bullas, & vlcera per pharmaca extrinſecus appoſita ex induſtria excitare ſciunt, lacte enim tithymali, vel aqua cantharidum, vel decoctionis

ctionis crabronum, aut veſparum cute abluta, ſic tumeſcit locus, vt alicuius ægritudinis ſuſpicionem ingerat, ſed abſque dolore, & hac fraude vteri geſtationẽ callidæ mulieres ſimulare ſciũt, melle anacardino, vel flamula Iouis, ac conſimilibus proluta cute excitant; Turbith cõtuſo ebullito, ac etiam tapſia tumores inducunt, puluere taxi adeò cutem vlcerant, vt miſerabiles, ac ferè deplorati homines appareant: bullæ tamen, ac tumores ab appoſitis medicamentis excitati facili negotio ſanantur, etiam ſolis admotis refrigerantibus, & plagæ cum ſucco populi, vel vnguẽto populeo, ſecus verò de his, quæ ſpontè natura à multitudine humorum, vel mala qualitate irritata extra propellere conſueuit; ſimulata item vteri gerentia ex tactu ipſo percipitur, eo quod extuberantia ſit laxa, lenis, & inæqualis; fit perſæpè, vt delirare nonnulli, deſipereque ſimulẽt, quos ex præcedentibus cauſſis, ex habitu ſimulantis, & ex priuatione notarum delirii, ac melancoliæ leui negocio deprehenduntur; Alii ſuffitu ſulphuris, vel alterius rei facie decolorata, vrinaque ex croco, vel rhabarbaro, vel caſſia, aut alio cibo, vel medicamento immutata, ictericos ſe fingunt, ſed abluta facie, præſertim cum aqua aliqua abſtergente, & aliis inſpectis vrinis, fraus facillimè detegitur: Quod ſi captiui pro vitanda tortura, aliisve tormentis, proponant enteroceles, epiploceles, luxationes, oſſium fracturas, tumores præter naturam excitatos, cum hi morbi per ſe manifeſti, ac in propatulo ſint, abſque ali-

quo negocio medicus cognoſcere poterit ex ipſa inſpectione, an vera loquantur, & quæ diſcrimina ex tortura, aliisve cruciatibus ſubire poſſint, ſententiam ferre.

Ægrotantes acuto præcipuè morbo in cuſtodia poſitos non niſi maxima cum difficultate, ipſorumq; ſalutis diſcrimine, curari poſſe.

CAP. II.

CVm ad ægrotantium curationem non ſufficiat medicum officio ſuo fungi, ſed opus ſit, & ægrum, ac miniſtros, cæteraque exteriora rectè disponi, vt ab Hippocrate monumentis literarum traditum eſt, ægrotantes enim inter cætera mœſtitiam, timorem, ac ſolicitudinem abigere debent, triſtiumque rerum cogitationes, aut recordationem, cum animi perturbationes, ac paſſiones corpus alterent, & à naturali ſtatu euertant, nec nō ſi immodicæ ſint, perditum eant, cum autem infirmi ſi in carceribus detineantur, perpetuo his malis animi accidentibus vexentur, & potiſſimum cum domeſticorum obſequiis carere conſiderent, vt morbus foueatur, in diesque augeatur, rationi conſentaneum eſt. Ii, qui adſunt ægrotanti, teſte eodem Hippocrate, debent eſſe ægro grati, aſſidui, officioſi, ac mites, cuſtodes tamen carcerum vtplurimum ſunt moroſi, deſides, immanes, & ægrotantibus valdè infenſi, nec quæ mandantur, ſubminiſtrant, vel ſubmi-

li. 6. epid.

niſtrare ſciunt; Quæ ad victum parantur debent eſſe munda, nitida, probè inſtructa, exculta, & ęgro grata, quæ quidem in carceribus minimè haberi poſſunt; Aer æſtate, & in calidis morbis debet eſſe nitidus, frigidus, purus, & odoratus, hyeme vero ac in morbis frigidis calidus, cubiculũque multo igne ex lignis odoratis accenſo, calidius, odoratiuſque reddi debet, pręſertim ſi imbrifera, vdaque hyemis conditio fuerit, multumque refert, ſi aer cubiculorum, ac domorum aliquantiſper aperta aliqua feneſtra expurgetur, vt omnis putredo vitetur, vel facta non augeatur, & aucta maligna fiat, carcerum tamen aer ferè ſemper eſt obſcurus, impurus, graueolens, ac multis inquinamentis refertus, quin nec expurgari, nec calefieri poteſt: Accedit quod carcerum ſtrepitus ſunt diu, noctuque frequentes, ratione quorum nec ſomnum capere ſtatutis horis, nec quieſcere ægrotantes poſſint, quo fit vt valdè lædantur, & ſi qua criſis futura ſit, impediatur; ſtatuendum ergo eſt, infirmos in cuſtodia poſitos, niſi maxima cum difficultate, eorumque vitæ periculo curari non poſſe, quidquid enim erroris in ægrotantibus committitur, eſt in cauſa, vt teſtatur Galenus, vt vel ſerius morbus ſoluatur, vel certius mors aduenient.

Traditur primo methodus vniuerſalis teſtificandi, cum in ægrotantibus, tum in vulneratis, ſecundo particularis in ægrotantibus, vbi quot in eorum prognoſtico attendenda ſint, patefit, ac de morborum generibus, quantitate, ac qualitate, nec non de ſignis ſalubribus, ac exitialibus agitur.

CAP. III.

QVamplures, ac fere innumeri ſunt euetus, quos vtriuſque Iuriſconſulti, & præſertim cauſſarum diſceptatores ad medicos deferunt, potiſſimum tamen ægrotantium, ac vulneratorum, de quorum exitu ſententiam ſuam ferre debent, an ſalubri, vel lethali morbo breui, vel diuturno laborent, & ſi in carceres coniecti, vel in ius vocati, è carceribus emittendi ſint, aut domi continendi, donec ſanitati reſtituãtur; medicus itaque, qui de morbo aliquo, vel vulnere ſententiam ſuam religioſè teſtificari debet, antè omnia animum ab omni affectione, perturbationeque liberum, vacuũmq; habere eum oportet, & veritatem ſectando, mendacium odio proſequi, ideo requiſitus à iudice, qui iuxta formam, vel ordinem iuris interrogat, veritatem dicere debet, qualibet vtilitate, vel ratione ſpecie boni, vel honeſti poſtpoſita; nemo enim debet pro tuendo corpore, vel re familiari alterius, aut etiã ſuæ conſeruandæ cauſſa animam ſuam perdere, & ne minima quidem labe conſpergere, vt etiam in meo volumine de Chriſtiana, ac tuta medendi

ratione à me fuit ſcriptum; Quod ſi de ægrotante aliquo teſtimonium perhibere medicũ oporteat prius diuino imploraro auxilio, cum inuiſiſſe, deinde affectus vna cum ſuis ſymptomatibus, dies morbi, ac teſtificationis, adhibita, vel adhibenda remedia, ſi opus erit, explicari debet, poſt qualitatem, & vim morbi, eiuſque ſpeciem, mox ægrotantis temperamentum, habitum, ætatem, ac vires, anni tempus, regionem, anteactam victus rationem, ac vitæ inſtiturum animaduertere, vt ſecundum artis decreta decernere poſſit; & quoniam conſueuerunt iudices in quibuſdam caſibus exigere medicorum iudicia iuramento roborata, & ex conſilio magis peritorum, reuocare ſententias latas ex opinione minus peritorum, ideo medicus cautus eſſe debet, vt iudicii ſui, ac credulitatis, vt aiunt, non autem veritatis iuramentum præſtet, & ſemper ſententiæ magis peritorum ſe ſubiiciat, cum medicina ſit ars coniecturalis, & in errorem facilli:nè quiſque medicus ob varios euentus labi poſſit; ſi tamen ea, quę ſuprà dixi, & quæ inferius ſcribam, medicus perpendat, non longè à ſcopo aberrabit, eorũ enim, qui ſunt valentibus viribus, robuſto corpore, atque animo fortes, plerũque ex magnis, ac lethalibus morbis euadere ſolent, cum nonnunquam ex paruis, ac ſalutaribus, qui imbecilliore ſunt corpore, viribus infirmis, animique deiecti, præter expectationem, diem ſuum obeant: Quanto magis morbi ſunt naturæ ægrotantis ſimiles, aut eius ætati, aut eius habitui, aut anni tẽpori, tanto

minus diſpendii adeſt,& tanto facilius infirmi ſanantur, morbi enim, vt docuit Hippocrates, qui temperamento ægrotãtium, cum ſani ſunt, propinquant, facilius, ac citius ſoluuntur, qui vero multum diſtant à natura ægrorum difficilius, ac tardius curationem admittunt,& idem de ætate, ac cæteris relatis eſt dicendum; nam cum morbus cum nullo horum congruit, tunc magis periclitãtur ægri, calidæ enim naturæ, vt aſſerit Galenus,& ætati,& habitui,& tempori,& anni cõſtitutioni, ac regioni morbi calidiores ſunt congruentes, frigidioribus verò frigidiores, eadem ratione & ſiccioribus, ſicciores, & humidiores, humidioribus, præterea, vt dixi, locus, conſuetudo, victus ratio, ac vitæ inſtitutum attendenda ſunt, quidam enim morbi in quibuſdam locis ita ſunt frequentes, vt illorum generatio ſit indigenis[congenita, minuſque habeant, tãquam familiares, diſcriminis, teſte eodem Galeno, & qui ægrotantes proni iacent, cum per bonam valetudinem ſic cubare nõ conſueuerint, aut delirium, aut dolorem ventris ſignificant, ex victus quoque ratione quem æger ſeruauit, poſſumus conijcere,& de morbo, ac de humorum quantitate, ac qualitate, an calidi, vel frigidi, benigni, aut praui exuberent, ſi vitæ inſtitutum etiam perpendamus, eadem coniectare poterimus, ex diuerſitate enim artium, ac ſtudiorum varii,& ſucci,& morbi procreantur: Animaduertere potiſſimum medicus debet morbi ſpeciem, magnitudinem, & morem; ſpeciem vtrum ſit de genere acutorum,

2.aph.34.

com.34.

3. in 1. epid.tex.1.

vel

vel peracutorum, vel diuturnorum, vt ſi de genere acutorum, vel peracutorum, an eorum qui exquiſite, ac ſimpliciter, vel eorum qui non exacte acuti, vel peracuti ſunt, & ſi ſint cum febre, an ſine febre, & adhuc ſi de genere acutorum, an ex his, qui ex delapſu, ſeu ex decidentia nuncupantur; & cum morbi acuti, ac peracuti ex natura, ac motu præſertim, & non ex tempore tantum præfiniantur ex Galeno, hi enim propter motus velocitatem, & ſymptomatum ſæuitiem periculoſi exiſtant, ideò conſiderandum eſt, an motus ſit celer, quoniam ſic erunt de genere acutorum, an lentus, & ſegnis, & ita nō erunt inter acutos numerandi, quamuis intra terminum acutorum finiant, morbi enim, qui breui terminantur tempore, non autem celeriter mouentur, breui temporis morbi à græcis brachichronii, & non acuti apellantur, acuti enim omnes breues ſunt, ſed nō omnes breues acuti ſunt, nouiſſe autem multum refert has morborum ſpecies, vt de termino eorum præſagire poſſit medicus, & rectam, conuenientemque victus rationem præſcribere; Morbi verò acuti cum febre ex Hippocrate ſunt pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, febris ardens, & omnes alii, qui ſimilem habent naturam cum prædictis, & illos ſequuntur, quibus Auicēna addit tertianam exquiſitam continuam, ac febrem continētem, ratione quarum febrium continuarum, hi morbi mortem afferre ſolent: acuti ſine febre ex Galeno ſunt conuulſio, tetanus, & apoplexia, peracuti verò angina ſynanche

lib. … dieb. decr. c. 12.

li. 1. acut. tex. 8.

t. 4. tr. 5. cap. 4.

1. prog. com. 25.

1. aph. com. 12. dicta, iuxta angina cynanche nuncupata, cholera, ac diſtenſio neruorum tetanus dicta; inter diuturnos numerātur aqua intercus, melancholia, ſuppuratio, tabes, ac perſimiles: Inſuper conſiderandum eſt, an morbus ſit paruus, ac debilis, vel magnus ſeu vehemens, ac validus, vel grauis dictus: magnus quidem eſt, quoniam corpus vehemēter affligit, & infeſtat, & vim magnam obtinet, id quod accidit tribus potiſſimum de cauſſis, quod ſcilicet in nobili, ac præſtanti aliqua parte conſiſtat, quod ſuaptè natura, & propter ſuam eſſentiam ſit magnus, vel quia cacoethes, ſiue cap. 6. malignus ſit ex lib. 4. meth. medendi, vel quod aliis verbis explicauit lib. 7. methodi ex læſæ actionis præſtantia, aut ex propria affectus eſſentia, aut ex facultate læſum corpus gubernante; nam quod libro ſeptimo læſæ actionis præſtantiam, libro quarto affectæ partis præſtantiam dixit, quod vero ſeptimo propriam affectus eſſentiam, quarto affectus magnitudinē ſcripſit, quod tandem libro ſeptimo facultatis læſum corpus gubernantis indicationem, libro quarto ſub maligni nomine comprehendit, ſiquidem ob facultatis altricis defectum ſæpè morbi maligni ſuboriuntur; oppoſitis vero tot modis paruus, ac debilis efficitur, quoniam oppoſitorum eadem eſt diſciplina; Nec ſufficit medicum nouiſſe morbi ſpeciem, magnitudinem, ac morē, vt tuto de ſalute, vel interitu præſagire poſſit, niſi & ſigna ſalubria, ac lethalia exactè cognouerit, in acutis nāque morbis, ſi ægri facies, ſiue vultus, vt teſtatur Hippo-

Hippocrates principio ſit ſimilis beneualẽtibus, *lib. 1. progn. t. 5.*
& potiſſimum ſui, optimus erit, ſi vero quàm maximè contrarius ſimili ſit, vitioſiſſimus erit, ideo lib. de coacis prænotionibus ait, faciei corruptio lethalis, vbi faciei corruptionem, ſeu faciem corruptam appellat, quã in prognoſticis exitialem, ac cadaueroſam dixit, & nos paſſim Hippocraticam nuncupamus, quod ab Hippocrate deſignata ſit; facies vero hæc eſt affectus, quo facies multum à naturali immutata manifeſto cernitur, nimirum & à recte valentium facie, & in primis à ſeipſa in colore, ſubſtãtia habitu, ac mole, ſequitur enim extenuationem vi morbi inductam: ad intelligẽdum tamen, an talis facies ſit mortifera, iubet Hippocrates conſiderandum eſſe, an morbus ſit acutus, in diuturno enim corpus abſumi temporis progreſſu haud mirum eſt; ſecundo an à ſola euidenti, & externa cauſſa facies cadaueroſa fiat, vt à vigilia, inedia, alui profluuio, & quacũque immodica ſanguinis euacuatione, aut magna triſtitia, tunc enim minus ineſt periculi, modo ſimul coniuncta non ſit cauſſa aliqua interior exedens, facies tamen illa ſi ex cauſſa aliqua euidenti inducta ſit, poterit deprehendi ex facilitate reſtitutionis ad integrum, quæ intra diei naturalis, vel alterius ſpacium fit: Præterea non eſt ignorandum, quod cum dixerit Hippocrates in *lib. 6. epid. ſec. 2.* prognoſticis, faciem illius ægrotantis eſſe optimam, quæ ſibi ipſi ſano quam ſimillima perſeuerat, peſſimam vero, quæ ab eo longiſſimè diſtat, in epidemiis ſcriptum reliquiſſe, bonam faciem

in magnis morbis bonum eſſe ſignum, contrariam vero in paruis malum, niſi tamen ex aliqua euidenti cauſſa proueniat, apparere enim faciem bonam in paruis malis nihil mirum eſt, neque notatu dignum, quidquam ſignificans præter id, quod de aliis omnibus ſignis, & ex eſſentia propria ponitur conſtare, puta paruum eſſe malum, in magnis tamen malis faciem eſſe bonam, & notatu dignum eſt, & bonam ſignificationem præſtat, non enim plurimum labaſcit facultas, dũ adhuc perſeuerat bona facies, ſicut & in paruis morbis faciem eſſe malam notatu dignũ eſt, & ſignum exitialiſſimum, ſignificat enim quid exitioſi, ac maligni admodum latere, cuius ratione ad extremum languorem facultas peruenerit; quidam enim morbi ſunt, qui propria eſſentia videntur eſſe parui, qui tamen maligni, ac periculoſi ſunt. Signa vero faciei mortiferæ ex Hippocrate ſunt, nares acutæ, ſeu compreſſæ, oculi caui, aſtricta ſeu collapſa tempora, aures frigidæ, ac contractæ, ſeu imis partibus leuiter verſæ, cutis circa frontem dura, intenta, ac arida, faciei color viridis ſeu pallidus, aut niger; Alia etiam ex oculis exitialia ſigna accipiuntur, nempe ſi lumen refugiant, nullo extrinſecus vitio naturali, ſeu aduentitio affecti, aut nolentes illachrymant, aut peruertuntur, ſeu diſtorquentur, ſi aliter ex oculis altero minor fiat, quã natura factus ſit, ſi quæ in his alba eſſe debent, rubeſcant, ſi oculi liuidas, aut nigras venulas obtinent, vel pituitam circa oculorum aſpectum, aut paruas lemas, aut ſordes

des circa ipſos, aut concretionem tenuem albicantem habeant, ſi oculi ſublimes fiat, id eſt, vt in coacis prænotionibus ait, frequenter agitentur, ac dimoueantur, quos Galenus inſtabiles vocat, quoniam perpetuo motu agitantur, niſi ſit ex naturali vitio, ſi oculi eminentes, ſeu tumidi fiant, vel caui admodum fuerint, præterea ſi alba pars maior fiat, nigra verò minor, aut nigra ſub palpebra ſuprema occultetur, hæc omnia exitialiſſima habentur, ſi per ſomnum palpebræ non commutantur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, nec alui fluor, nec medicamentum in cauſſa eſt, aut non ita dormire conſueuit, ſi eædem palpebræ pallent, & idem pallor labra, & nares decolorat, exitiale; ſi labra, nares, oculi, palpebræ, & ſupercilia, aliquaue ex his peruertantur, ſi æger etiam propter imbecillitatem iam non audit, aut non videt, præ foribus mors eſt; vbi ægri ſupini cubant, hiſque genua contracta ſunt, vbi deorſum ad pedes grauitate corporis æger delabitur, vbi brachia & crura nudat, & inæqualiter diſpergit, neque his calor intimus ſubeſt, ſi interiora calent, extrema frigida ſunt, mortem prænunciant; Vbi æger hians dormit, vbi aſſidue dormit, vbi mentis compos non eſt, dentibus ſtridet, neque id facere ſanus ſolet: illa quoque mortis indicia ſunt, vngues, digitique pallidi, aut nigricantes, frigidus ſpiritus ore, naribuſque emiſſus, ſi in veſte, & ſtragulis floccos legit, fimbriaſue deducit, vel in adiuncto pariete,

ſi qua minuta eminent, carpit; Neque is ſeruari poteſt, qui ſine vllo tumore febricitans, ſubito ſtrangulatur, aut deuorare ſaliuam ſuam non poteſt, ſi item ceruix acutè febrienti conuertitur, ſicut deuorare æquè nihil poſſit. His multa alia ſigna addi poſſent, quæ longa ſerie Hippocrates in lib de coacis prænotionibus, & duobus prædictionum libris explicauit: at ego præcipua tantum afferre volui, ex quorum indicio de ægrotante actum eſſe, prudens medicus cognoſcere poſſit. Cum igitur medicus cognouerit ægrotantem interiturum eſſe, ſciet etiam mortis diem, ac horam prædicere, ſi animaduertat ea, quæ Galenus docuit libro tertio de criſibus, quanto ſcilicet ſuperet morbus naturam, & grauiores ſint acceſſiones, ſi namque magna ſit acceſſio, motus vehemens, præceps morbus, atque crudus, & parum reſiſtere robur naturæ videatur, certiſſimè breui ſubſecuturam mortem prædicere poterit, ſi vero contra acciderit, vt morbus virtutem ſuperet, non autem plurimum, & virtus admodum reſiſtat, tardius mors ſequetur; quo enim die grauiſſima morbi acutiſſimi acceſſio fiet, ſi & inualida virtus ſit, & premat morbus, eo ſane die morietur: febrium namque, & aliorum acutorum morbornm iudicationes, vt Hippocrates ait, iiſdem numero diebus finiuntur, ſiue ſanus quis euadat, ſiue etiam num pereat, ac proinde eadem ipſa die, vel ſalus, vel mors ſperanda eſt. vt enim ſaluberrimi morbi, qui tutiſſimis fulciuntur notis, die quarto, vel antea quieſcere ſolent, ita peſſimi

lib. 3. progn. t. 1. t. 2. & 3.

ſimi quiq;, & quibus periculoſiſſima ſunt ſigna, die quarto, vel citius interficiunt, itaque ſi die quarto, ſeptimo, nono, vndecimo, decimoquarto, lethales notæ appareant, cum ſumma virium imbecillitate, eo ipſo die æger morietur: Qua verò hora diei moriturus ſit æger, ex acceſſionum natura, ſymptomatum vehementia, & virtutis defectu facile erit agnoſcere, nõnulli enim morbi ſunt, in quibus principia acceſſionum mortem afferunt, in incremento alii, in ſtatu plerique, & nonnunquam etiam in declinatione, & ſi non illius merito, ſi vera ſit declinatio, mortem afferre ſolent: In principiis acceſſionum mors ſolet accidere propter ſubitum humorum ad interiora motum, veluti ſuffocata, atque extincta natura, non aliter quam ſi lignorum viridium aceruum confertim flammæ iniicias, tempore verò ſtatus in morbis exitialibus ſine criſi mori cõtingit, natura vtique à vehementia acceſſionis, & morbi violentia ſuperata, ſic & in incrementis acceſſionum paria interdùm fiunt, atque in ſtatu, tumq; eadem ratione in incremento, qua in ſtatu nempe per acceſſionis eo in tempore vehementiam, mori contingit, in particularibus etiam acceſſionum declinationibus plurimi moriuntur, imbecilla enim virtus tempore principii, augumenti, ac vigoris perdurare poteſt, cum tunc adhuc ſit veluti compreſſa, conſtricta, & vnita, declinationis vero tempore ab intimis ad extrema calore abeunte, naturæ habitus, roburque vitale ſpargitur, atque diſſoluitur; In declinatione verò vni-

uerſali mors non accidit morbi ratione, quod morbum cum ſuperauit natura, quod ſi ſuperauit, mori æger natura vincente non poteſt, & ſi quæ moriantur, non morbi, ſed erroris ratione contingit; Ex præhabitis itaque quanam hora moriturus ſit æger, prædicere exercitatus medicus poterit: ſi enim acceſſio nocturna ſit, ſymptomata lethalia, infirmiſſima virtus, moriturum de nocte ægrum prædicere iure poteſt; ſin diurna de die, eoque diei, vel noctis articulo, quo deiectiſſima virtus, morbus validiſſimus fuerit, at ſi morbi per acceſſiones non vrgent, certius nihil ſciri poteſt, niſi quod ea hora expectanda mors eſt, in qua æger grauius ſe habere conſueuit, & deteriora illi afferunt ſymptomata: Morbi porrò vehementia ex ſymptomatis, & caſibus grauiſſimis, virtutis vero deiectio ex pulſu, & naturalium actionum carentia, aut imbecillitate deprehendi debet.

Quanam ratione de vulnerato teſtificandum ſit, vbi de ſignis, ac indiciis vulnerum agitur.

CAP. IIII.

MEdicus, qui de illatis vulneribus ſentētiam dicere cogitur, ſi vulneratus vita ſuperſtes eſt, de futuro vulnerum euentu ex arte, ſi vita functus eſt, mortē aut vulneribus, aut aliis cauſſis aſcribendam eſſe, teſtificari debet. vt igitur de vulne-

vulnerum fine ſecundum medicinæ præcepta certam ſententiam proferre poſſit, in primis vulneratum viſitaſſe, & quot vulnera, an vnum vel plura, vel ex induſtria ab homine, vel caſu aliquo inflicta fuerint, vulneraque ipſa expreſſo, ac proprio nomine vna cum affectis partibus exponere debet: ſecundo vulnerati naturam, & habitum, & ætatem, & ſuperuenientia vulneribus ſymptomata animaduertere, eorum enim, qui ſunt valentibus viribus, robuſto corpore, ac duræ texturæ, atq; animo fortes, vulnera grauiſſima & quæ plerunque mala ſequuntur ſymptomata, non magno negocio curantur, cum nonnunquam ex leuibus vulneribus, qui imbecilliore corpore, viribus infirmis, animoque deiecto ſunt, præter expectationem intereant; Vulnera, quæ grauia, difficiliaue in ſene, ac puero cenſeri debent, ea vix mediocria in iuuene iudicabis, niſi ſint ex genere eorum, quæ omnino lethalia dicuntur, locorum inſuper neceſſaria eſt conſideratio, vt quę vulnerum ſalutaria ſint, quæ lethalia, & quæ periculoſa diſtinguere ex ipſis locis poſſimus, capitis enim vulnera ob partis excellentiam periculoſiſſima ſunt, tum & quæ intra thoracem, intraue peritonæum penetrarunt, præſertim ſi quid intus ſit læſum; vulnera item, quæ in articulis accepta ſunt, & quæ ob ipſorum magnitudinem ſutura indigent, grauia, nec ſine periculo æſtimanda ſunt; veſicæ vulnera, inteſtinorum gracilium, ſepti tranſuerſi, cordis, hepatis, cerebri, lethalia eſſe dixit Hippocrates, & præter hæc ventriculi *li.6. aph. 18.*

etiam vulnera, ſpinalis medullæ, pulmonis, ac
li.5. c.26. faucium ex præciſione venarum, ac arteriarum
grandium lethalia eſſe arbitratus eſt C.Celſus.
Difficilem vero curationem habent, vixque ad
ſanitatem perueniunt, quibus aliqua parte pulmo, aut iecinoris craſſum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lien, aut vulua, aut aliquod inteſtinum craſſum vulneratum eſt: Hi quoque in præcipiti ſunt, in quibus vſq; ad grandes, intuſque conditas venas in alis, vel poplitibus mucro deſcendit; periculoſa etiam vulnera ſunt, vbicunque venæ maiores ſunt, & nō ſolum in alis, ac poplitibus, ſed etiam in ano, ac teſticulis; Præter hæc malum vulnus eſt quodcumque in alis, vel fœminibus, vel inanibus locis, vel in articulis, item quodcumque, quod muſculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut chartilaginem læſit; tutiſſimū vero omniū, quod in carne eſt, & hæc quidem loco, vel peiora, vel meliora ſunt, at periculum facit quodcumque magnum eſt. Præterea & vulneris modos, figuras, percuſſionis vim, telorum naturam, & inferentis robur obſeruare oportet, vt tutum de vulneribus iudicium ſumamus, peius enim id eſt quod colliſum, quàm quod tantum diſciſſum eſt, vt acuto, quàm retuſo telo vulnerari minus malum eſt: ſerrata vulnera, & inæqualia, in quibus pars diſſectaeſt, pars ſemiauulſa dependet, in malis habenda ſunt, vt peſſima cenſenda plaga, quæ in orbem eſt, tutiſſima quæ lineæ modo recta eſt, quę à vehementiſſimis telis vti miſſilibus,
hama-

hamatis, aduncis, roſtratis, ſatis, & magno, intenſoque impetu actis, vti ſaxa, globi bellicorũ tormentorum: Quæ item à ſagittis vulnera infligũtur, plerũque grauia, difficilia, ac inſanabilia eſſe ſolent, quod & magnas ſuapte natura ob impetum diſciſſiones facere ſoleant, & in penitiores corporis partes penetrent; Quæ verò ab incidentibus tantum, non autem mucronatis gladiis inferuntur, periculoſa minus eſſe conſueuerunt, omnis enim à mucrone punctio grauis plerunque & periculoſa eſſe ſolet: præterea ex vulneribus, quæ in externis partibus cõſiſtunt, ea diſcerni facilius, curariq; promptius à medico poſſunt, quæ vero in imis ſedibus, neque curari facile, nec diſcerni commodè poſſunt. Quæ vero à vulneribus, vel ſtatim illatis ſeſe coniungunt ſymptomata, vel paulo poſt ſuperueniũt, de vulnerum malignitate, varioque euentu iudicium præbent; ſi quis enim ſecundum caput vulneratus eſt, confeſtim ſine voce, ſine ſenſu fiat, totuſque conuellatur, bilemque vomat, ſanguinem de naribus fundat, quomodo non hunc, & in cerebro membranisue eius vulneratum eſſe, & breui moriturum dicemus? Interim diligenter cõſiderandæ ſunt virtutum actiones ex pulſu, vrina, vomitionibus, & aliis quæ foris excernuntur; Cõtemplari etiam oportet laborantis appetentiam, tolerantiam, faciem & ſimilia, & ex his, cæteriſque conſcriptis perpenſis, & examinatis, virtutis robur cum morbi magnitudine conferre, vt præſagiri poſſit, ac iudicium ferri, num moriturus, an

conualiturus ſit æger, & quoniam propter virium, temperamenti, ætatis, cœli, animi accidentium varietatem, aliqua vulnera varium euentum ſortiri conſueuerunt, & iudicium iuxta Hippocratis præcepta, eſt difficile, in ſuſpectis, ac dubiis plagis expectandus erit ſeptimus dies, priusquam aliquid de illis decernatur, ac iudicetur; ſolent enim vt plurimum intra id tempus apparere accidentia tum bona, tum mala, quæ poſt accepta talia vulnera ſuperuenire conſueuerunt, febris inquam, ſyncopis, delirium, conuulſio, & id genus alia. Quod ſi medicus de vulnerato mortuo teſtimonium dicere debet, vtrum ratione vulnerum, vel aliarum cauſſarum vitam cum morte commutauerit, ne eos, de quorum capite agitur, ex reis innocentes, vel ex innocentibus rei teſtimonio ſuo faciat, animaduertere debet, an ea vulnera ſint ex lethalium genere, & ritè ad curationem adhibita remedia, & ipſe æger medicorum conſiliis, præſcriptisque obſequens fuerit, tunc enim certo poterit teſtari apud quęſtionis iudicem, mortem vulneribus eſſe aſcribendam; quòd ſi ex exitialium ordine non fuerint, vulneribus adſcribere mortem minimè debet, ſed aut in humorum corporis malignitatem, vel malum corporis mortui habitum, aut virium imbecillitatem, aut parum cautam victus rationem ab ægro ſeruatam, vel non rectè adhibitam à medicis curationem, aut in aliquid tale, quod mortis cauſſam contrahere potuerit, vulnerisque naturam minimè lethalem peruer-

L tere,

tere, interitum reiicere debet; ab omnibus enim cuiusvis generis vulneribus mori homines contingit, vt autor eſt Hippocrates, ideo quidam in vulnere, quod graue nulla re erat, delirio, ac febre affecti, mortui ſunt, ſicut è conuerſo è grauibus, penèque lethalibus vulneribus nonnulli euaſerint, quorum varias hiſtorias legere eſt apud Hippocratem libro ſeptimo Epidemiorum, & apud Galenum libro octauo de Vſu partium, & ſeptimo de adminiſtr. anatomicis. Itaque qui ex arte de lethalibus vulneribus apud quæſtionis iudicem dicere cogitur, in primis vulneratos locos deſignare, tùm quàm alte telum penetrar, & num punctim, num cæſim vulnus illatum ſit, explicare oportet, ab hinc quæ vulneribus ſymptomata, & an ſingulis diebus acciderint, & quo die ab aſſumpto vulnere ſequuta mors fuerit, deſcripto notare; poſtremo adhibitam in curatione methodum recenſere, nihil omittens in genere eorum, quæ in ægri opem, atque ſalutem preſcripta ſunt, ne quem vis morbi peremit, medici ignoratione, aut negligentia periiſſe videri poſſit. 2. prorrh.

Quibus notis vulnera à venenatis armis illata, vel veneno infecta dignoſcantur.

CAP. V.

QVi hominum vitæ inſidiãtur, & eos interimere ſtudẽt, arma quibus trucidare volunt,

veneno tingere conſueuerunt, quod aliquo lentore, ac viſciditate ſit præditum, merito cuius tenaciſſimè adhæreat, & conſeruetur, vt poſtea ex iactu, vel percuſſione calefactum in venas, ac arterias ſe inſinuet, ac per vniuerſum corpus propagetur, quod ſi arma inficere non potuerunt, poſtquam vulnera inflixerint, medicamentis venenum immiſcere abditè quærunt; Cum itaque venenato telo inflicta fuerit plaga, vel in ipſo vulnere à ſimplici telo facto venenum immiſſum, nonnulla mala, ac ſæua inſurgent ſymptomata, virium labefactatio, vel caſus, cordis tremor, vel defectus, & alia quæ concomitari conſueuerunt eos, qui venenum ſumpſerunt, de quibus inferius verba faciam; præterea membrum vulneratum imbecille redditur, caro vulneris, & circa vulnus à ſana carne multum diuerſa erit, vel mutabitur, pallida enim ſupra modum, ſubliuida, & veluti mortua apparebit, quibus inſpectis poterit turò medicus, vel de venenato telo, vel veneno immiſſo apud magiſtratum iudicium ferre.

Mortis, ac ſymptomatum repentinus euentus, an veneno exhibito, vel corruptioni humorum, ſit aſcribendus, vbi de ſignis venenorum in genere, & in ſpecie tractatur, ac de ſignis mortui ex veneno.

C A P. V I.

SI quis de repente ſæuis, ac malis ſymptomatibus corripiatur, ita vt ſuſpicio ſit de veneno exhi-

exhibito, ſiue moriatur, ſiue ſanitati reſtituatur; ſi res medicorum iudicio ſit delata, cum quamplura & eadem accidentia fieri poſſint, cum ex veneno, tùm ex corruptione humorum; imo & mors quàm citiſſimè vtraque de cauſſa ſubſequatur; non debet prudẽs medicus, vt credula plebs, ac leues mulieres faciunt, ſtatim in venenũ cauſſam reiicere, cum apertum ſit, humores, ſeu excrementa humorum in corpore humano ad talem corruptionem deuenire poſſe, vt quàm ſimiles præſentaneo veneno fiant, ita vt pro maiori, vel minori intenſiore, vel remiſſiore corruptione, vel labe, magis & minus pernicioſi euadant, quod & auctoritatibus, & ratione, ſi dabitur occaſio, medicus probare poterit; Hippocrates enim medicinæ parens hiſtoriam duorum ægrotantium commemorat, qui citò perierunt, ita vt ex relatis notis ex veneno eos obiiſſe, leui negocio quiſque cenſere poſſet; cum tamen ex prauitate humorum vitam cum morte commutaſſe, ſit apertum, prior fuit quidam Crito in talo decumbens, quem recto ambulantem pedis dolor fortis cœpit à magno digito; & decubuit eodem die, horreſcens, faſtidioſus, parùm ſubcaleſcens, & in noctem delirauit, ſecundo tumór per totum pedem, & vſque ad talum ſubrubens, & cum contentione, puſtulæ nigræ; febris acuta, inſaniit, à ventre vero mera biliosá copiósa effluxerunt, mortuus eſt à principio ſecundo die; dolorem autem illum, ac tumorem pedis factum fuiſſe ob venenatam ſuccorũ qualitatem, ſuſpi-

lib. 1. epid. ſec. 3. ægr. 9.

cionem ſtatim præbere cœpit, horridum, ac faſtidioſum fieri hominem, maximè autem ſuſpicioné auxit delirium primæ noctis, ſummè verò aperta fuit venenoſi humoris ſignificatio, cũ facto maiore pedis tumore puſtulæ nigræ cum cõtentione eruperunt, quod ſi ex veneno accepto iſthæc oborta fuiſſent, vtique Hipp. nõ obticuiſ-
li. 3. epid. ſec. 3. ægr. 4. ſet; Alter ægrotans prima die, qua decubuit, vorauit æruginoſa, febris horrida, multus ſudor cõtinuus capitis. & colli per totum diem, grauitas cum dolore, vrinæ tenues, non ſudauit, ab aluo vero eiecit ſtercus confertim, multa delirauit, nunquam dormiuit, ſecundo mane ſine voce, febris acuta, ſudauit, non intermiſit, palpitationes per totum corpus, nocte conuulſiones, tertia exacerbata ſunt omnia, mortuus eſt; hunc autem mortuum fuiſſe ante diem quartum ratione praui ſucci, & venenati, quem homo collegerat ob prauum victum, phrenitidem vero fuiſſe, vt vnum quoddam veneni ſymptoma Galenus in
cap. 5. interpretatione explicat, qui etiam libro ſexto de locis affectis, quęrit, an in animantibus corruptio aliqua naſci poſſit adeo vehemens, vt veneni, tum qualitatem, tum vires æquet, qua difficultate propoſita, adhæret opinioni illorum, qui eoſdem fieri affectus concedunt, & à lethali veneni potione, & à corruptione, quæ ortum à corpore habet, aſſerens ſemen retentum, ac menſtruum ſanguinem venenum euadere, ideo quibus notis caſus vno ab altero diſtingui poſſit, ſtatim a-
cap. 7. perit, quod & in libro quinto magis patefacit, aſſerens

aſſerens, medicos inueſtigare conſueuiſſe, an aſſumpti veneni propria extent ſigna, eo quod ſæpenumero videant citra lethalis veneni potionem humores ſimiliter, vt epoto veneno, corrumpi, & aliquãdo ita mutari, vt vniuerſum corpus auriginoſum euadat; Item in 2. prorrhet. ſcribit, nam cauſſæ aliqua eorum, quæ in corpore procreantur, potentia, virtuteque, tum virus rabidorum canum, tum lethalia ea medicamenta repræſentant, quæ etſi in affecto loco nullum protinus, quod notabile ſit, pariant ſymptoma; poſt quatuor tamen, vel ſex menſes, vel longinquiorem temporis vſuram, hominem perimunt, & poſt multa infert; non eſt igitur abſurdum, vt talis in corpore paulatim progenitus ſit humor, qualis eſt, & rabientium canum, & tractu temporis longiore corrumpentium medicamentorum; adde quod 2. in 6. epid. cum dicat Hippoc. de ſanguine ichoroide, quod in pauidis, &c. aſſerit Galenus, non ſimpliciter tenuem, ac aqueum ſanguinem ab ipſo ichoroide vocari, ſuſpicãdum eſſe, ſed eum qui venenoſa, & maligna facultate ſit præditus, præterea in lib. 6. epid. ait, exoriri dolores quoſdam malignos à maleficis, ſiue medicamentis deleteriis, ſeu feris venenum ictu fundentibus, ſiue ſuccis aliquibus ex improbo victu, aut peſtilenti cælo in corpore genitis; libro etiam artis medicinalis agens de cauſſis præſeruatiuis, ait, hoc vniuerſum genus præcipuè circa humores verſatur, quos neque lentos eſſe oportet, nec vehementer calidos, nec putre-

com. 17.

com. 38.

ſec. 6. t. 5.

dini obnoxios, nec venenoſos, ſi itaque nonnunquam humores putredini parati ſint; aliqua ex cauſſa putreſcunt, ita cum ſunt veneno affines, aliquando ex aliqua cauſſa fiunt venenum; & omnino venenati, ideo de curatione verba faciens, ſcribit, interim & horum ſanationis intentio duplex eſt, alteratio, & euacuatio, alterantur verò, vel ab ipſo corpore concocti, vel ab aliquibus aliis facultatibus, quæ vim medicamentoſam habent, è quorũ numero ſunt ea, quæ exitialium ferarum aduerſantur, quæque pharmaca deleteria, hoc eſt, venena appellãtur, tranſmutant; eandem habuit cum Galeno opinionem Aetius; qui ſcriptum reliquit, fortem humorũ mutationem per corruptionem factam, venenoſo pharmaco ſimilem eſſe; vt interim omittam auctoritatem nonnullorum Iuriſperitorum, & præſertim Boſſii capitis iudicis acerrimi in ſua practica criminali, qui in eandem venerunt ſententiam, & ratione id clarius patefaciam. humores enim corporis noſtri, ſiue ſint illi proprii, ex quibus nutrimur, ſiue etiam excrementa ab illis ſeparata, ſolent duplici inter alias mutatione affici: altera intemperamento, & altera in natura; temperamenti quidem mutationem ſubeunt, dum alterationem in qualitatibus patiuntur: naturæ verò, dum corruptionem concipiũt, ex temperamenti mutatione fiunt quodammodo nobis alieni, & ex corruptione extranei euadunt, noſtræque naturæ, ſi ingens, ac valida fuerit corruptio, inimici, hinc euenit, vt in corporibus noſtris procreentur

Ser. 5. cap. 129.

tit. de delicto in princ.

tur aliquando humores, qui mole quandoque exigua exiſtentes, vim tamen, & efficaciam lethalium venenorum, pernicioſarumq; ferarum facile æquent, hinc à digito pedis epilepſia, ab ore ventriculi totius corporis conuulſio, ab vtero ſtrangulatus, & ſuffocatio, hinc & nõnunquam inopinati interitus, corruptio autẽ iſta, ſiue ſubſtantiæ, & naturæ ipſorum mutatio ortum ducere poteſt, vel à cauſſa externa, vel interna, externa quidem cum in aëre pernicioſo, ac peſtilenti vitam traducimus, vel cum alimẽtis vitioſæ ſubſtantiæ, & quæ corruptelam aliquam perceperunt, vtimur, vel cum cibariis incorruptis quidem veſcimur, ſed qui facilè, cum leui deſtituantur concoctione, labem iſtam concipiunt, aut cum cibaria nec ordine, nec tempore, nec menſura, nec præparatione conuenienti ſumuntur; interna vero cauſſa erit, cum membrum aliquod, & potiſſimum ex principalibus labem aliquam conceperit, vel ex natiua imbecillitate, vel ex inſigni intemperie, vel ex immoderato coitu, vel malis animi accidentibus, vel motibus validis, ac inordinatis, & conſimilibus, quæ innatum calorem diſſipare, naturamque immutare poſſunt, qua labe concepta, proprium nutrimentũ in alienam permutant naturam, atque corrumpunt. Vt igitur medicus diſcernere poſſit, cũ quis grauiſſimis ſymptomatibus, ac morbo de repẽte affligitur, vtrum ratione veneni exhibiti, vel ratione exitialis humoris intus geniti, animaduertenda ſunt ſigna, quæ venena ipſa produnt; ſed cum,

venena ſint in duplici differentia, alia enim à tota ſubſtantia, ſeu forma ſpecifica tantum agunt, alia vero mediantibus qualitatibus manifeſtis, quibus tanquam organis vtuntur, primo notas venena in genere indicantes, mox alias in ſpecie oſtendentes, literis tradam. Signa communia erunt, vbi quis ſanæ mentis, bene ac recte valens, recta, ac conuenienti victus ratione vtens, in cibo, vel potu, vel poſt cibum, vel potum præter opinionem, nulla præcedente cauſa, ſtatim, ac de repentè variis laceſcitur moleſtiis, & præter naturam affectibus, eum veneno infectum eſſe, exiſtimandum eſt; effectus vero, ac ſymptomata ſunt multa, ac diuerſa, vt ventriculi æſtuatio, ſeu anxietas, corporis iactatio, coloris faciei varia mutatio, nauſea, vomitus fœtidus, ac plenus, tuſſis, ſingultus, tremor, ſtupor, punctura, mordicatio ventriculi, roſiones inteſtinorum, cordis palpitatio, contractio, ſanguinis tetri per os reiectio, moleſta, aut ægra vrinæ excretio, dolor in alto nitens, feruor totius corporis, frigus eiuſdem, ſenſus eroſionis, eruptio papularum, ac macularum liuor, tumor, coarctatio, vertigo, lypotomia, ſyncopis, pulſus defectio, ac viriuin, roboriſque totius proſtratio, lingua, & labia nigricantia, extrema corporis, præſertim vngues plumbeo colore liueſcunt, ſudor frigidus circa frontem, & tempora erumpit, vox cum murmure editur, & oculi torue mouentur. Quod ſi venena fuerint ex numero eorum, qui à tota ſubſtantia, ſeu à proprietate ſola interi-

interimunt, cognoſcuntur ex Auicennæ ſententia, eo quod ſtatim virtus vitalis concidit, ac deficit, palpitationes fiant, & ſyncopis inuadit abſque omni alio penè ſigno: ſi venena vero ſint ex iis, quæ non ſolum proprietate, verumetiam manifeſta qualitate agunt, ſi in caliditate excedant, fauces, ac internæ partes ardore, ſeu incendio quodam intolerabili ſtatim afficiuntur, vniuerſum corpus, & facies, oculique potiſſimum rubore inſigni ſuffunduntur, loco ſtare neſciunt, & anguntur, ingentiſſima ſiti torquentur, & copioſo ſudore madent; quod ſi præter caliditatem erodendi facultate vigeant, præter relata ſigna, punctione, corroſione, ac vehementiſſimo dolore ventriculus, ac inteſtina afficiuntur, ſanguiſque excerni ſolet ore, aluo, ac veſica, quibus ſymptomatibus ſæpe accedunt vomitus, faſtidia, ſudores modo frigidi, modo calidi, ac variæ coloris mutationes; Quod ſi venena frigida ſint, ſequuntur ſomnus profundus, à quo vix excitari poſſunt, totius corporis torpor, ſiue ſtupor, frigiditas, color faciei liuidus, & quoquo pacto terrificus, dementia quædam in aliquibus temulentiæ ſimilis, ac ſudores frigidi: At venena in ſiccitate præpollentia concomitantur, ſitis inexplebilis, cum linguæ, ac faucium ariditate, alui aſtrictio, dyſuria, ſeu vrinæ difficultas, totius corporis ſiccitas, ac vigiliæ; Si venena fuerint humida, ac putrefactoria, aderunt ſomnus, egeſtiones, ſudores, & cætera excrementa valdè fœtentia, neruorum reſolutio,

articulorum quandoq; laxatio, & extremæ partes plerunque putreſcunt. Quod ſi ex veneno clam exhibito quis moriatur, corpus ex Galeno, aut liuens, aut nigricans, aut varium apparet, aut grauem odorem reddit putredinis.

lib. 6. de loc. aff. cap. 5.

Venena dare vel vendere prohiberi, quæ enumerantur.

CAP. VII.

QVoniam lege ciuili cautum eſt, ne ſeplaſiarius, vel quiuis alius venena dare, ſeu vendere poſſit, niſi habita à rectoribus venia, vel à medicis in ſuis ſchedulis ſint imperata, ſi quis fuerit deprehenſus dediſſe, vel vendidiſſe venenum, deferunt legum latores ad medicos iudicium, an illud ſit venenum malum, vel non: diſtingũt enim venena in bona & mala; Vt autem medicus iudicium ſuum ferre poſſit, an res illa data, vel vendita, ſit venenum, necne, venena cognoſcere operæ pretium erit, quod vt facilius aſſequi poſſit, & nihil deſit quod ad noſtrum inſtitutum pertineat, ipſa hoc loco recenſere minimè inutile fore duxi: Venena igitur alia ſunt naturalia, & nonnulla artificialia, naturalia deſumuntur, vel à plantis, vel ab animalibus, aut à metallicis, ſicut Dioſcorides docet, quem imitati ſunt poſteriores græci Aetius, Paulus, & Actuarius, nec non inter Arabes, Auicẽna, & Auerroes; ſi à plantis, vel ſunt fructus, vel herbæ, vel radices, vel ſucci, vel ſemina. Inter fructus numerantur

l. qui venenum ff. de ver. ſignif.

lib. 6. in prooemio.

poma mandragoræ, herei, ſeu rhododaphne,aut oleandri dicti,fructus anacardiorum, nux vomica, nux metellę, collocynthis, & fructus taxi,ſeu ſmilacis; Inter ſemina connumerantur ſemin• hyoſciami,cicutæ, gith,ſeu melanthii, coriandri, papaueris nigri,ellebori , & ſtaphiſagriæ. Inter herbas venenoſas adnumerant ſmilacem, taxum dictam,quam aliqui tithymalum appellant,ſolanum maniacum ſeu furioſum,vel dorycnium dictam, ſardoniam herbam , papauer cornutũ, ſeu corniculatum, pharicum, toxicum, quæ duo tamen quid ſint, nõ conſtat apud auctores,rutam ſylueſtrem,chamelæam,thymelæam,bryoniam, lathyrum,& ricinum,adhæc referunt etiam fungorum genera quædã: Inter radices, chamelæon nigrum ixia dictũ, aconitum, thapſia, veratrum, agaricum nigrũ , ephemerum, quem colchicum aliqui vocant,ſcylla venenoſa,& cyclamen reponuntur; Ex ſuccis ſunt, meconium ſeu papaueris ſuccus,opocarpſon, thapſia,elaterium, mandragoras,euphorbium,ac ſcãmonium; Inter animalia ſecundum totum venenata recenſentur cantharides,bupreſtis, ſalamandra, pinorum erucæ, lepus marinus , rubeta ſeu rana paluſtris muta, quam bufonem vocant, ac deuoratæ hyrudines, inter exitioſa ſecũdum partes, ſunt viperæ caput, & cauda,paſtinacæ marinæ ſummitas,caudæ, cerebrum felis, caudæ ceruorum , caudæ ſcorpionum; ex venenatis verò penes excrementa ſunt, fel pardis,fel viperæ,fel canis piſcis , vrina muris, ſudor quorundã quadrupedum, præſertim equi,

etiam vulnera, ſpinalis medullæ, pulmonis, ac
li.5. c.26. fiucium ex præciſione venarum, ac arteriarum grandium lethalia eſſe arbitratus eſt C. Celſus. Difficilem vero curationem habent, vixque ad ſanitatem perueniunt, quibus aliqua parte pulmo, aut iecinoris craſſum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lien, aut vulua, aut aliquod inteſtinum craſſum vulneratum eſt: Hi quoque in præcipiti ſunt, in quibus vſq; ad grandes, intuſque conditas venas in alis, vel poplitibus mucro deſcendit; periculoſa etiam vulnera ſunt, vbicunque venæ maiores ſunt, & nō ſolum in alis, ac poplitibus, ſed etiam in ano, ac teſticulis; Præter hæc malum vulnus eſt quodcumque in alis, vel fœminibus, vel inanibus locis, vel in articulis, item quodcumque, quod muſculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut chartilaginem læſit; tutiſſimū vero omniū, quod in carne eſt, & hæc quidem loco, vel peiora, vel meliora ſunt, at periculum facit quodcumque magnum eſt. Præterea & vulneris modos, figuras, percuſſionis vim, telorum naturam, & inferentis robur obſeruare oportet, vt tutum de vulneribus iudicium ſumamus, peius enim id eſt quod colliſum, quàm quod tantum diſciſſum eſt, vt acuto, quàm retuſo telo vulnerari minus malum eſt: ſerrata vulnera, & inæqualia, in quibus pars diſſecta eſt, pars ſemiauulſa dependet, in malis habenda ſunt, vt peſſima cenſenda plaga, quæ in orbem eſt, tutiſſima quæ lineæ modo recta eſt, quę à vehementiſſimis telis vti miſſilibus, hama-

hamatis, aduncis, roſtratis, ſatis, & magno, intenſoque impetu actis, vti ſaxa, globi bellicorũ tormentorum: Quæ item à ſagittis vulnera infligũtur, plerũque grauia, difficilia, ac inſanabilia eſſe ſolent, quod & magnas ſuapte natura ob impetum diſciſſiones facere ſoleant, & in penitiores corporis partes penetrent; Quæ verò ab incidentibus tantum, non autem mucronatis gladiis inferuntur, periculoſa minus eſſe conſueuerunt, omnis enim à mucrone punctio grauis plerunque & periculoſa eſſe ſolet: præterea ex vulneribus, quæ in externis partibus cõſiſtunt, ea diſcerni facilius, curariq; promptius à medico poſſunt, quæ vero in imis ſedibus, neque curari facile, nec diſcerni commodè poſſunt. Quæ vero à vulneribus, vel ſtatim illatis ſeſe coniungunt ſymptomata, vel paulo poſt ſuperueniũt, de vulnerum malignitate, varioque euentu iudicium præbent; ſi quis enim ſecundum caput vulneratus eſt, confeſtim ſine voce, ſine ſenſu fiat, totuſque conuelletur, bilemque vomat, ſanguinem de naribus fundat, quomodo non hunc, & in cerebro membraniſue eius vulneratum eſſe, & breui morituriturum dicemus? Interim diligenter cõſiderandæ ſunt virtutum actiones ex pulſu, vrina, vomitionibus, & aliis quæ foris excernuntur; Cõtemplari etiam oportet laborantis appetentiam, tolerantiam, faciem & ſimilia, & ex his, cæteriſque conſcriptis perpenſis, & examinatis, virtutis robur cum morbi magnitudine conferre, vt præſagiri poſſit, ac iudicium ferri, num moriturus, an

conualiturus ſit æger, & quoniam propter virium, temperamẽti, ætatis, cœli, animi accidentium varietatem, aliqua vulnera varium euentum ſortiri conſueuerunt, & iudicium iuxta Hippocratis præcepta, eſt difficile, in ſuſpectis, ac dubiis plagis expectandus erit ſeptimus dies, priusquam aliquid de illis decernatur, ac iudicetur; ſolent enim vt plurimum intra id tempus apparere accidentia tum bona, tum mala, quæ poſt accepta talia vulnera ſuperuenire conſueuerunt, febris inquam, ſyncopis, delirium, conuulſio, & id genus alia. Quod ſi medicus de vulnerato mortuo teſtimonium dicere debet, vtrum ratione vulnerum, vel aliarum cauſſarum vitam cum morte commutauerit, ne eos, de quorum capite agitur, ex reis innocentes, vel ex innocentibus rei teſtimonio ſuo faciat, animaduertere debet, an ea vulnera ſint ex lethalium genere, & ritè ad curationem adhibita remedia, & ipſe æger medicorum conſiliis, præſcriptisque obſequens fuerit, tunc enim certo poterit teſtari apud quęſtionis iudicem, mortem vulneribus eſſe aſcribendam; quòd ſi ex exitialium ordine non fuerint, vulneribus adſcribere mortem minimè debet, ſed aut in humorum corporis malignitatem, vel malum corporis mortui habitum, aut virium imbecillitatem, aut parum cautam victus rationem ab ægro ſeruatam, vel non rectè adhibitam à medicis curationem, aut in aliquid tale, quod mortis cauſſam contrahere potuerit, vulnerisque naturam minimè lethalem peruer-

tere, interitum reiicere debet; ab omnibus enim cuiusvis generis vulneribus mori homines contingit, vt autor eſt Hippocrates, ideo quidam in vulnere, quod graue nulla re erat, delirio, ac febre affecti, mortui ſunt, ſicut è conuerſo è grauibus, penèque lethalibus vulneribus nonnulli euaſerint, quorum varias hiſtorias legere eſt apud Hippocratem libro ſeptimo Epidemiorum, & apud Galenum libro octauo de Vſu partium, & ſeptimo de adminiſtr. anatomicis. Itaque qui ex arte de lethalibus vulneribus apud quaſtionis iudicem dicere cogitur, in primis vulneratos locos deſignare, tùm quàm alte telum penetrat, & num punctim, num cæſim vulnus illatum ſit, explicare oportet, ab hinc quæ vulneribus ſymptomata, & an ſingulis diebus acciderint, & quo die ab aſſumpto vulnere ſequuta mors fuerit, deſcripto notare; poſtremo adhibitam in curatione methodum recenſere, nihil omittens in genere eorum, quæ in ægri opem, atque ſalutem præſcripta ſunt, ne quem vis morbi peremit, medici ignoratione, aut negligentia periiſſe videri poſſit. 2. prorrh.

Quibus notis vulnera à venenatis armis illata, vel veneno infecta dignoſcantur.

CAP. V.

QVi hominum vitæ inſidiātur, & eos interimere ſtudēt, arma quibus trucidare volunt,

veneno tingere conſueuerunt, quod aliquo lentore, ac viſciditate ſit prædítum, merito cuius tenaciſſimè adhæreat, & conſeruetur, vt poſtea ex iactu, vel percuſſione calefactum in venas, ac arterias ſe inſinuet, ac per vniuerſum corpus propagetur, quod ſi arma inficere non potuerunt, poſtquam vulnera inflixerint, medicamentis venenum immiſcere abditè quærunt; Cum itaque venenato telo inflicta fuerit plaga, vel in ipſo vulnere à ſimplici telo facto venenum immiſſum, nonnulla mala, ac ſæua inſurgent ſymptomata, virium labefactatio, vel caſus, cordis tremor, vel defectus, & alia quæ concomitari conſueuerunt eos, qui venenum ſumpſerunt, de quibus inferius verba faciam; præterea membrum vulneratum imbecille redditur, caro vulneris, & circa vulnus à ſana carne multum diuerſa erit, vel mutabitur, pallida enim ſupra modum, ſubliuida, & veluti mortua apparebit, quibus inſpectis poterit tutò medicus, vel de venenato telo, vel veneno immiſſo apud magiſtratum iudicium ferre.

Mortis, ac ſymptomatum repentinus euentus, an veneno exhibito, vel corruptioni humorum, ſit aſcribendus, vbi de ſignis venenorum in genere, & in ſpecie tractatur, ac de ſignis mortui ex veneno.

CAP. VI.

SI quis de repente ſæuis, ac malis ſymptomatibus corripiatur, ita vt ſuſpicio ſit de veneno exhi-

exhibito, ſiue moriatur, ſiue ſanitati reſtituatur, ſi res medicorum iudicio ſit delata, cum quamplura & eadem accidentia fieri poſſint, cum ex veneno, tùm ex corruptione humorum, imo & mors quàm citiſſimè vtraque de cauſſa ſubſequatur, non debet prudẽs medicus, vt credula plebs, ac leues mulieres faciunt, ſtatim in venenũ cauſſam reiicere, cum apertum ſit, humores, ſeu excrementa humorum in corpore humano ad talem corruptionem deuenire poſſe, vt quàm ſimiles præſentaneo veneno fiant, ita vt pro maiori, vel minori intenſiore, vel remiſſiore corruptione, vel labe, magis & minus pernicioſi euadant, quod & auctoritatibus, & ratione, ſi dabitur occaſio, medicus probare poterit; Hippocrates enim medicinæ parens hiſtoriam duorum ægrotantium commemorat, qui cito perierunt, ita vt ex relatis notis ex veneno eos obiiſſe, leui negocio quiſque cenſere poſſet, cum tamen ex prauitate humorum vitam cum morte commutaſſe, ſit apertum, prior fuit quidam Crito in talo decumbens, quem recto ambulantem pedis dolor fortis cœpit à magno digito, & decubuit eodem die, horreſcens, faſtidioſus, parum ſubcaleſcens, & in noctem delirauit, ſecundo tumor per totum pedem, & vſque ad talum ſubrubens, & cum contentione, puſtulæ nigræ, febris acuta, inſaniit, à ventre vero mera bilioſa copioſa efluxerunt, mortuus eſt à principio ſecundo die, dolorem autem illum, ac tumorem pedis factum fuiſſe ob venenatam ſuccorũ qualitatem, ſuſpi-

lib. 1. epid. ſec. 3. ægr. 9.

cionem ſtatim præbere cœpit, horridum, ac faſtidioſum fieri hominem, maximè autem ſuſpicioné auxit delirium primæ noctis, ſummè verò aperta fuit venenoſi humoris ſignificatio, cũ facto maiore pedis tumore puſtulæ nigræ cum cótentione eruperunt, quod ſi ex veneno accepto iſthæc oborta fuiſſent, vtique Hipp. nó obticuiſſet; Alter ægrotans prima die, qua decubuit, vomuit æruginoſa, febris horrida, multus ſudor cótinuus capitis. & colli per totum diem, grauitas cum dolore, vrinæ tenues, non ſudauit, ab aluo vero eiecit ſtercus confertim, multa delirauit, nunquam dormiuit, ſecundo mane ſine voce, febris acuta, ſudauit, non intermiſit, palpitationes per totum corpus, nocte conuulſiones, tertia exacerbata ſunt omnia, mortuus eſt; hunc autem mortuum fuiſſe ante diem quartum ratione praui ſucci, & venenati, quem homo collegerat ob prauum victum, phrenitidem vero fuiſſe, vt vnum quoddam veneni ſymptoma Galenus in interpretatione explicat, qui etiam libro ſexto de locis affectis, quęrit, an in animantibus corruptio aliqua naſci poſſit adeo vehemens, vt veneni, tum qualitatem, tum vires æquet, qua difficultate propoſita, adhæret opinioni illorum, qui eoſdem fieri affectus concedunt, & à lethali veneni potione, & à corruptione, quæ ortum à corpore habet, aſſerens ſemen retentum, ac menſtruum ſanguinem venenum euadere, ideo quibus notis caſus vno ab altero diſtingui poſſit, ſtatim aperit, quod & in libro quinto magis patefacit, aſſerens

li. 3. epid. ſec. 3. ægr. 4.

cap. 5.

cap. 7.

aſſerens, medicos inueſtigare conſueuiſſe, an aſſumpti veneni propria extent ſigna, eo quod ſæpenumero videant citra lethalis veneni potionem humores ſimiliter, vt epoto veneno, corrumpi, & aliquádo ita mutari, vt vniuerſum corpus auriginoſum euadat; Item in 2. prorrhet. ſcribit, nam cauſſæ aliqua eorum, quæ in corpore procreantur, potentia, virtuteque, tum virus rabidorum canum, tum lethalia ea medicamenta repræſentant, quæ etſi in affecto loco nullum protinus, quod notabile ſit, pariant ſymptoma, poſt quatuor tamen, vel ſex menſes, vel longinquiorem temporis vſuram, hominem perimunt; & poſt multa infert; non eſt igitur abſurdum, vt talis in corpore paulatim progenitus ſit humor, qualis eſt, & rabientium canum, & tractu temporis longiore corrumpentium medicamentorum; adde quod 2. in 6. epid. cum dicat Hippoc. de ſanguine ichoroide, quod in pauidis, &c. aſſerit Galenus, non ſimpliciter tenuem, ac aqueum ſanguinem ab ipſo ichoroide vocari, ſuſpicádum eſſe, ſed eum qui venenoſa, & maligna facultate ſit præditus, prętereà in lib. 6. epid. ait, exoriri dolores quoſdam malignos à maleficis, ſiue medicamentis deleteriis, ſeu feris venenum ictu fundentibus, ſiue ſuccis aliquibus ex improbo victu, aut peſtilenti cælo in corpore genitis; libro etiam artis medicinalis agens de cauſſis præſeruatiuis, ait, hoc vniuerſum genus præcipuè circa humores verſatur, quos neque lentos eſſe oportet, nec vehementer calidos, nec putre-

com. 17.

com. 38.

sec. 8. t. 5.

dini obnoxios, nec venenoſos, ſi itaque nonnunquam humores putredini parati ſint, aliqua ex cauſſa putreſcunt, ita cum ſunt veneno affines, aliquando ex aliqua cauſſa fiunt venenum, & omnino venenati; ideo de curatione verba faciens, ſcribit, interim & horum ſanationis intentio duplex eſt, alteratio, & euacuatio, alterantur verò, vel ab ipſo corpore concocti, vel ab aliquibus aliis facultatibus, quæ vim medicamentoſam habent, è quorũ numero ſunt ea, quæ exitialium ferarum aduerſantur, quæque pharmaca deleteria, hoc eſt, venena appellãtur, tranſmutant; eandem habuit cum Galeno opinionem Aetius; qui ſcriptum reliquit, fortem humorũ mutationem per corruptionem factam, venenoſo pharmaco ſimilem eſſe; vt interim omittam auctoritatem nonnullorum Iuriſperitorum, & præſertim Boſſii capitis iudicis acerrimi in ſua practica criminali, qui in eandem venerunt ſententiam, & ratione id clarius patefaciam. humores enim corporis noſtri, ſiue ſint illi proprii, ex quibus nutrimur, ſiue etiam excrementa ab illis ſeparata, ſolent duplici inter alias mutatione affici: altera in temperamento, & altera in natura; temperamenti quidem mutationem ſubeunt, dum alterationem in qualitatibus patiuntur: naturæ verò, dum corruptionem concipiũt, ex temperamenti mutatione fiunt quodammodo nobis alieni, & ex corruptione extranei euadunt, noſtræque naturæ, ſi ingens, ac valida fuerit corruptio, inimici; hinc euenit, vt in corporibus noſtris procreentur

Ser. 5. cap. 129.

tit. de delicto in princ.

tur aliquando humores, qui mole quandoque exigua exiſtentes, vim tamen, & efficaciam lethalium venenorum, pernicioſarumq; ferarum facile æquent, hinc à digito pedis epilepſia, ab ore ventriculi totius corporis conuulſio, ab vtero ſtrangulatus, & ſuffocatio, hinc & nõnunquam inopinati interitus, corruptio autẽ iſta, ſiue ſubſtantiæ, & naturæ ipſorum mutatio ortum ducere poteſt, vel à cauſſa externa, vel interna, externa quidem cum in aëre pernicioſo, ac peſtilenti vitam traducimus, vel cum alimẽtis vitioſæ ſubſtantiæ, & quæ corruptelam aliquam perceperunt, vtimur, vel cum cibariis incorruptis quidem veſcimur, ſed qui facilè, cum leui deſtituantur concoctione, labem iſtam concipiunt, aut cum cibaria nec ordine, nec tempore, nec menſura, nec præparatione conuenienti ſumuntur; interna vero cauſſa erit, cum membrum aliquod, & potiſſimum ex principalibus labem aliquam conceperit, vel ex natiua imbecillitate, vel ex inſigni intemperie, vel ex immoderato coitu, vel malis animi accidentibus, vel motibus validis, ac inordinatis, & conſimilibus, quæ innatum calorem diſſipare, naturamque immutare poſſunt, qua labe concepta, proprium nutrimentũ in alienam permutant naturam, atque corrumpunt. Vt igitur medicus diſcernere poſſit, cũ quis grauiſſimis ſymptomatibus, ac morbo de repẽte affligitur, vtrum ratione veneni exhibiti, vel ratione exitialis humoris intus geniti, animaduertenda ſunt ſigna, quæ venena ipſa produnt; ſed cum,

venena ſint in duplici differentia, alia enim à tota ſubſtantia, ſeu forma ſpecifica tantum agunt, alia vero mediantibus qualitatibus manifeſtis, quibus tanquam organis vtuntur, primo notas venena in genere indicantes, mox alias in ſpecie oſtendentes, literis tradam. Signa communia erunt, vbi quis ſanæ mentis, bene ac recte valens, recta, ac conuenienti victus ratione vtens, in cibo, vel potu, vel poſt cibum, vel potum præter opinionem, nulla præcedente cauſa, ſtatim, ac de repentè variis laceſcitur moleſtiis, & præter naturam affectibus, eum veneno infectum eſſe, exiſtimandum eſt; effectus vero, ac ſymptomata ſunt multa, ac diuerſa, vt ventriculi æſtuatio, ſeu anxietas, corporis iactatio, coloris faciei varia mutatio, nauſea, vomitus fœtidus, ac plenus, tuſſis, ſingultus, tremor, ſtupor, punctura, mordicatio ventriculi, roſiones inteſtinorum, cordis palpitatio, contractio, ſanguinis tetri per os reiectio, moleſta, aut ægra vrinæ excretio, dolor in alto nitens, feruor totius corporis, frigus eiuſdem, ſenſus eroſionis, eruptio papularum, ac macularum liuor, tumor, coarctatio, vertigo, lypotomia, ſyncopis, pulſus defectio, ac viriuim, roboriſque totius proſtratio, lingua, & labia nigricantia, extrema corporis, præſertim vngues plumbeo colore liueſcunt, ſudor frigidus circa frontem, & tempora erumpit, vox cum murmure editur, & oculi torue mouentur. Quod ſi venena fuerint ex numero eorum, qui à tota ſubſtantia, ſeu à proprietate ſola

interimunt, cognoſcuntur ex Auicennæ ſententia, eo quod ſtatim virtus vitalis concidit, ac deficit, palpitationes fiant, & ſyncopis inuadit abſque omni alio penè ſigno: ſi venena vero ſint ex iis, quæ non ſolum proprietate, verumetiam manifeſta qualitate agunt, ſi in caliditate excedant, fauces, ac internæ partes ardore, ſeu incendio quodam intolerabili ſtatim afficiuntur, vniuerſum corpus, & facies, oculique potiſſimum rubore inſigni ſuffunduntur, loco ſtare neſciunt, & anguntur, ingentiſſima ſiti torquentur, & copioſo ſudore madent; quod ſi præter caliditatem erodendi facultate vigeant, præter relata ſigna, punctione, corroſione, ac vehementiſſimo dolore ventriculus, ac inteſtina afficiuntur, ſanguiſque excerni ſolet ore, aluo, ac veſica, quibus ſymptomatibus ſæpe accedunt vomitus, faſtidia, ſudores modo frigidi, modo calidi, ac variæ coloris mutationes; Quod ſi venena frigida ſint, ſequuntur ſomnus profundus, à quo vix excitari poſſunt, totius corporis torpor, ſiue ſtupor, frigiditas, color faciei liuidus, & quoquo pacto terrificus, dementia quædam in aliquibus temulentiæ ſimilis, ac ſudores frigidi: At venena in ſiccitate præpollentia concomitantur, ſitis inexplebilis, cum linguæ, ac faucium ariditate, alui aſtrictio, dyſuria, ſeu vrinæ difficultas, totius corporis ſiccitas, ac vigiliæ; Si venena fuerint humida, ac putrefactoria, aderunt ſomnus, egeſtiones, ſudores, & cætera excrementa valdè fœtentia, neruorum reſolutio,

articulorum quandoq; laxatio, & extremæ partes plerunque putreſcunt. Quod ſi ex veneno clam exhibito quis moriatur, corpus ex Galeno, aut liuens, aut nigricans, aut varium apparet, aut grauem odorem reddit putredinis.

lib. 6. de loc. aff. cap. 5.

Venena dare vel vendere prohiberi, quæ enumerantur.

CAP. VII.

QVoniam lege ciuili cautum eſt, ne ſeplaſiarius, vel quiuis alius venena dare, ſeu vendere poſſit, niſi habita à rectoribus venia, vel à medicis in ſuis ſchedulis ſint imperata, ſi quis fuerit deprehenſus dediſſe, vel vendidiſſe venenum, deferunt legum latores ad medicos iudicium, an illud ſit venenum malum, vel non: diſtingũt enim venena in bona & mala; Vt autem medicus iudicium ſuum ferre poſſit, an res illa data, vel vendita, ſit venenum, necne, venena cognoſcere operæ pretium erit, quod vt facilius aſſequi poſſit, & nihil deſit quod ad noſtrum inſtitutum pertineat, ipſa hoc loco recenſere minimè inutile fore duxi: Venena igitur alia ſunt naturalia, & nonnulla artificialia, naturalia deſumuntur, vel à plantis, vel ab animalibus, aut à metallicis, ſicut Dioſcorides docet, quem imitati ſunt poſteriores græci Aetius, Paulus, & Actuarius, necnon inter Arabes, Auicēna, & Auerroes; ſi à plantis, vel ſunt fructus, vel herbæ, vel radices, vel ſucci, vel ſemina. Inter fructus numerantur

l. qui venenum ff. de verb. ſignif.

lib. 6. in prooemio.

poma

poma mandragoræ, herei, ſeu rhododaphne,aut oleandri dicti,fructus anacardiorum, nux vomica, nux metellę, collocynthis, & fructus taxi,ſeu ſmilacis; Inter ſemina connumerantur ſemina hyoſciami,cicutæ, gith,ſeu melanthii, coriandri, papaueris nigri,ellebori, & ſtaphiſagriæ. Inter herbas venenoſas adnumerant ſmilacem, taxum dictam,quam aliqui tithymalum appellant,ſolanum maniacum ſeu furioſum,vel dorycnium dictam, ſardoniam herbam, papauer cornutũ, ſeu corniculatum, pharicum, toxicum, quæ duo tamen quid ſint, nõ conſtat apud auctores,rutam ſylueſtrem,chamelæam,thymelæam,bryoniam, lathyrum,& ricinum,ad hæc referunt etiam fungorum genera quædã: Inter radices, chamelæon nigrum ixia dictũ, aconitum, thapſia, veratrum, agaricum nigrũ, ephemerum, quem colchicum aliqui vocant,ſcylla venenoſa,& cyclamen reponuntur; Ex ſuccis ſunt, meconium ſeu papaueris ſuccus,opocarpſon, thapſia,elaterium, mandragoras,euphorbium,ac ſcãmonium; Inter animalia ſecundum totum venenata recenſentur cantharides,bupreſtis, ſalamandra, pinorum erucæ, lepus marinus, rubeta ſeu rana paluſtris muta, quam bufonem vocant, ac deuoratæ hyrudines, inter exitioſa ſecũdum partes, ſunt viperæ caput, & cauda,paſtinacæ marinæ ſummitas,caudæ, cerebrum felis, caudæ ceruorum, caudæ ſcorpionum; ex venenatis verò penes excrementa ſunt, fel pardis,fel viperæ,fel canis piſcis, vrina muris, ſudor quorundã quadrupedum, præſertim equi,

& muli, caſtoreum ex putredine nigrũ, vel quod è ponto defertur; Secundum verò partes vtiles venena ſunt, vt ſaliua canis rabidi, viperæ, ſanguis tauri recens, ſanguis menſtruus, & oua aſpidum; Inter metallica venenata numerantur gypſum, ceruſſa, calx, auripigmentum, arſenicum ſublimatum, duo ſandaracæ genera, ſpuma argenti, adarace, plumbi ſcobs, ærugo, argentum viuum hydrargiros appellatum, ferri ſcobs, ſquama, & recrementum, æris ſquama, & magnes; ex artificialibus venenis, id eſt, quæ arte aliqua componuntur, ſunt ceruſſa, lazurium, ſeu azarum dictum, quod quidem ex lapide lazuli paratur ærugo, realgar, ſiue riſagallum officinis appellatum, quod ex ſulphure & plumbo fit, puluis adamantis medicatus arſenicum ſublimatum ſeu cryſtallinum vocatum, argentum ſublimatum, ſaponis lixiuium, vulgo *la maeſtra* dictum.

Vtrum qualibet veneni quantitas hominem iugulare poſſit.

CAP. VIII.

QVærunt Iuriſperiti de quantitate veneni, vtrum ex qualibet poſſit quis interire; ideo Alexander ille inſignis Iuriſconſultus conſuluit, quod licet aliquis confeſſus fuerit venenum alicui propinaſſe, ac veneni qualitatem, ac quantitatem exprimat, ſi medici, quorum iudicium eſt exquirendum, referant, eam veneni quantitatem

Cõ. 3. cõſ. 10.

non

non fuiſſe ſatis ad interimendum illum, cui exhibitum fuit venenum, cōfeſſionem vel erroneam illicò reuocandam eſſe, & veneficum mulctari non poſſe. Quid autem hac in re ſtatuendum ſit, difficillimum diffinire cenſeo; Galenum enim non ſatis ſibi conſtare inuenio, nam videtur quandoque venenorum vim in qualitate, & nonnunquam in quantitate ponere, ita vt niſi quantitate conuenienti ſint exhibita, in corpus noſtrum agere minimè poſſint: ideo lib. 2. Aph. ait, neque illa medicamēta, quæ corpus noſtrum poſſunt corrumpere, ſicuti mandragora, papauer, cicuta, poſſunt ſine quantitate nocere, & lib. 3. ſimpl. med. aſſerit, medicamenta, quæ frigore interimunt, non eſſe genere lethalia, ſed ſola quantitate, vt in erodentibus, patefacientibus, atque calefacientibus ſecus rem ſe habere; quæcunque verò frigiditate occidūt, ea exigua quantitate ſumpta mortem non adferre, non magis quàm ſi copioſæ flammæ pauxillum aquæ inſtilles, aut lignum iniicias humidum, ac viride, quemadmodum itaque niſi calorem habeant abundantem, qui tum comminuat, tum ad cor vſque perducat, interficere non poterunt; ſic ſi quod comminuit, ac deducit, multo valentius fuerit, prorſum deuincet, mutabitque, ac alimento, vt ſibi ſit medicamentum, efficiet, & capite ſuperiori etiam dixit, ſicuti ſi exiguum quiddam ſumatur, mortem homini nequaquam inferet. Aliquando autem efficaciam venenorum qualitati tantum tribuere videtur, quod

com. 17.

cap. 19.

cap. 18.

ſec.3. agr.4. ſatis aperte fatetur in lib.3. epid. cum ait, itaque vt veneno epoto lethali quidem poſtridie, vel tertio die moriuntur, qualitate eius non copia mortem afferente, libro quoq; 3. de temperam. c.4. ſcribit venena tota natura, & genere eſſe de- *cap.19.* leteria, & lib.5. ſimpl. med. at ſunt quæ tota eſſentia nobis contraria ſunt, proinde ſi vel minimum eorum aſſumptum fuerit, omnino lædat, neceſſe eſt, ſeu dryopteris, pytioçarupe, & thapſia, & ſolanum maniacum, & hydrargiros, & fungorum nonnulli, ſaliua, & fel venenatorum animalium: nam talia omnia genere ſunt deleteria, non quantitate, quo loco conſtat aliqua calida, & pleraque frigida medicamenta recenſeri, cũ tamen omnia genere deleteria, non quantitate dicantur: eandem ſententiam habuit in lib.1. de ſemine, vbi docet, quod minima particula humoris lethalium venenorum in corpus animalis ingreſſa, totum id momento temporis immutare, ſibique ſimili affectione alterare poteſt; quam quidem opinionem confirmat Actuarius lib.5. *cap.12.* meth. med. cum ſcribit, medicamenta exitialia qualitate potius, purgantia vero quantitate offendere. In hac manifeſta in dictis Galeni contradictione nonnulli eruditiſſimi viri diu laborarunt, vt ipſum minimè ſibi diſſentiẽtem oſtenderent, quorum reſponſionibus omiſſis, meam in medium afferam, venena nempè eſſe in duplici diſcrimine, alia enim propria ſui facultate, ſeu forma, & alia manifeſtis, & ocultis ſimul facultatibus agunt, venena quæ ex natura, ac peculiari

forma

forma vim ſuam produnt, in minima admodum quantitate intra corpus ſuſcepta, ipſum nec alterare, nec perdere poſſunt, cum nullum ſit naturale agens, quod ad agendum conuenientem nō exigat quantitatem, quod ſi certa quadam quantitate exhibeantur, alterare, ac perdere, nequaquam verò nutrire poſſunt, ſua enim vi, ac potētia, celeriter quam tangūt, partem immutant, & in naturam ſuam cōuertunt, & poſt hanc aliam, ita vt totum corpus immutent, ac perdant, & de his intellexit Galenus in 3. epid. ac de temperam. 5. ſimpl. ac in 1. de ſemine; iſta enim venena in minima etiam quantitate à calore euinci poſſunt, & ideò genere, & non quantitate deleteria eſſe dixit: venena verò, quæ præter ſecretam naturam magis manifeſtis qualitatibus agunt, niſi in commoda, ac conuenienti quantitate fuerint propinata, interimere haud poſſunt; ſed à calore natiuo adeo ſuperantur, vt pro veneno alimentum fiant, ac de his verba fecit Galenus lib. 3. ſimpl. & 2. aphoriſmorum. Quare ſtatuendum erit, medicamenta quæ genere deleteria ſunt, & propriè venena appellari poſſunt, non eſſe quantitate expendenda, ſed dumtaxat naturæ contrarietate; quæ verò ſecreta natura, ac manifeſtis magis qualitatibus naturæ noſtræ inimica ſunt, & venena impropriè dicuntur, quantitate eſſe conſideranda; Ideo ſi dabitur occaſio iudicandi de veneno, an quantitas oblata potuerit necem inferre, animaduertendum erit, quale nam fuerit venenum, ſi enim fuerit de genere illorum, quæ

haud

propria ſui facultate, ſeu forma tantum humanæ naturæ inimica, quamuis in pauca quãtitate fuerit propinatum, hominem iugulare poſſe, eſt aſſerendum, ocius, vel tardius, pro vt varia eſt venenorum natura, ac proprietas; Aconitum enim, napellus, ac toxicum quaſi horæ momento homines interficiunt: quam celeritatem, ac tarditatem adiuuare ſolet diſpoſitio, ac proprietas corporum, veneni menſura, ac tempus, quo fuerit collectum, nec non modus componendi. Quod ſi venenum fuerit de numero illorũ, quæ potius manifeſtis qualitatibus agunt, niſi in debita, ac commoda quantitate fuerit exhibitum, necem inferre minimè poterit, quæ quantitas nõ poteſt eſſe omnium vnica, cum non omnium eadem ſit natura, ac facultas.

De pubertate, ac ſignis pubertatis.

CAP. IX.

ANtiquiores pubertatis quãplures quæſtiones ad medicos deferre conſueuerunt, qui ad probandam in maſculis pubertatem inſpiciebant, nunquid circa pudenda lanuginem emiſiſſent, vt aſſerit Port. in Inſt. quæ tamen ratio probandi pubertatem honeſtatis cauſſa fuit à Iuſtiniano improbata in omnibus aliis dubitationibus, & ſtatutum, maſculos puberes eſſe exacto decimo quarto anno, præter quàm in quæſtione matrimonii; cum enim adoleſcẽtulorum aptitudo ad prolificam venerem ex annorum numero,

haud

haud iudicari poſſit, videtur ipſis iuriſperitis neceſſaria huiuſmodi inſpectio, non vnus enim omnium eſt pubertatis terminus, vt teſtatur Galenus lib.3. aphor. quia tẽperaturæ non ſunt æquales: qui enim bilioſiores, ac calidiores ſunt, hi citius pubeſcunt, pituitoſiores vero, ac frigidiores tardius; nullus, inquit Philoteus, reperitur, qui quinto decimo anno non pubuerit, & nullus ante duodecimum annum pubes eſt, totum hoc ſpatium à duodecimo anno vſque ad decimum quintum, ſecundum maiorem, & minorem caliditatem citius, ac tardius pubertatem implet, vt plurimum vero decimoquarto anno completo ephebi efficiuntur, vt eſt Ariſtotelis, & Galeni ſententia: ille enim ait, mas primum genitale ſemen magna ex parte incipit ferre anno peracto, bis ſeptimo, ſimul etiã pubeſcere incipit eo tempore; & iſte, pubeſcere incipiunt aliqui, vbi quartum decimum annum expleuerunt, quidam vno pòſt anno, aut etiam amplius. rationem pubertatis affert Hippocrates dicens: cum genitura prodit, etiam caro rareſcit, & cuticula, & venæ aperiũtur magis, quàm priori tempore, & pubes pilos emittit, rara enim cuticula reddita, ſimulque pilus moderatam humiditatem in alimento habet, & nõ pauciorem. Qui incipiunt pubeſcere, auctore Galeno, paruos, ac imbecilles pilos exigunt, teſtes ſubito increſcunt, vox mutatur, ex acuta enim veluti rauca efficitur, & perfecta pubertate grauior, quod prius fuit ab Ariſt. obſeruatũ, qui ſcribit, vox, vbi incipit pubeſcere mas

com. 27.

lib. 7. de hiſt. animal.

lib. 6. de ſan. tuen. cap. 2.

lib. de nat. pueri tex. 17.

lib. 2. de temp. c. 5. & in 6. epid. cõ. 4 tex. 27.

lib. 7. de hiſt. anim. c. 1. & lib. 4. Bold.

mutatur in ſonum aſperiorem, inæquabilioremque, quamquam nondum grauem; cum igitur impuberum ſemen generandi facultatem non habeat, ſit infœcundum, & minimè prolificum, fit vt impuberes ad contrahendũ matrimonium minimè apti ſint; Animaduertendum tamen eſt, plura eſſe medicamenta à Galeno ſmegmata dicta, quæ impuberum puerorũ teſticulos ad multum tempus paruos conſeruat, ſimiliter & quæ pilorum exortum cohibent, ideò medicus diligenter perquirere debet, an talia appoſita fuerint medicamenta, vt rectè iudicare poſſit.

De iis, qui concumbere non poſſunt, ac de cauſſis.

CAP. X.

IVris pontificii doctores de his, quæ matrimonium contrahendum impediunt, & iam contractũ dirimunt, ſcribentes, inter potiora impedimenta, veneris moram recẽſent, in toto titulo de frigidis, ac maleficiatis; vbi ſtatuunt; quod ſi impeditio, ſiue naturalis, ſiue aſſititia ad copulam naturalem perfectam ſit perpetua, connubium contrahendum impediat, & contractum dirimat, etiam ex ſententia diui Thomę, nec non ſancti Antonini; ſecus verò ſi interceſſio ſit temporanea; & quoniam ferre ſententiam, vtrum impotentiam ad exercendam venerem recipiat curationem, vel ſit inſanabilis, an à natura contractum ſit vitium, vel ex accidenti, ad medicos

4. diſt. 34. 3. part. tit. 10. c. 12.

ſpectat,

ſpectat, debent ſedulo huius vitii cauſſas conſiderare, quas facilè inuenient, ſi cognouerint quot, & quæ ad venerem exercendam requirãtur; Tria autem ſunt, quæ neceſſario ad perfectionem huius actus concurrũt, virtus & robur, inſtrumenta apta, & ſeminalis materia, ideò rerum venereatum ineptitudo erit, vel ex virtutis defectu, vel propter inſtrumentorum ineptitudinem, aut ob vitium ſeu defectum ſeminis, vel propter hæc omnia ſimul; virtutis imbecillitas, vel defectus cõtingit, vel propter intẽperiem aliquam inſignem, vel propter alium morbum, ideo conualeſcentes, & qui graui aliquo morbo laborant, minimè veneris officium complere poſſunt, vel vbi ex aliquo affectu iecur, aut ventriculus laborant, ita vt proba non fiat ciborum coctio, & chili ſanguificatio, vel ſi cerebrum etiam ipſum malè afficiatur, ſeu grauiter ægrotet, quibus auctores aliqui addunt, & renes, cum præſertim intemperie frigida laborãt; virtutis etiã imbecillitas fit propter motum animi, vt cum ſpiritus ad alias partes retrahuntur, vt quando animus diſtrahitur, & occupatur ad alia negocia; ſanguis & ſpiritus ad caput retrahuntur, vt ad genitalia membra nullam habeant propenſionem, hinc verecundia, timor, amor, ira, & ſimilia ita vires infringere ſæpè ſolent, vt homines ad exercendam venerem inepti fiant, virtus etiam inualida euadit ex inſigni aliqua euacuatione, vel ſanguinis, aliorumuè humorum, aut ex longa inedia, vel ex vigiliis, vel immodicis exercitationibus: Inſtrumenta verò

neceſſaria ad complexum venereum duplicia ſunt, alia enim deſeruiunt ſeminis generationi, alia verò eius effuſioni concubitus tempore. priori officio delegata ſunt ſeminalia vaſa, & teſtes, alteri vero veratrum, quando igitur ſeminalia vaſa, & teſtes laborant inſigni aliqua intemperie, vel ſimplici, vel compoſita ſine materia, vel cum materia, & præſertim frigida, cuius ratione iureconſulti ineptos ad concubendum, frigidos nuncupant, vel cum obſtruantur, vt ſemini via præcludatur, vel ſolutione continui aliqua laborant, tunc fit veneris impotentia: Quod ſi pudendum ipſum virile vitio aliquo afficiatur, vel intemperie aliqua, vel paralyſi laboret, vel laxus eſt, aut longius, aut maius, quam par ſit, fit ineptus, ac inutilis ad exercendam venerem; & quoniam erigitur colis ex multo ſpiritu cum ſemine commiſto, quem non parum iuuat flatus, qui ſolet eo confluere, ideo ſi flatus deficiat, poteſt etiam veneri impedimentum afferre, flatus autem deficit, vel ex nimio calore vniuerſi corporis, vel earum partium, quæ affinitatem, & connexionem cum genitalibus membris habent, vt renes, & venter inferior, prætereà deficit ex frigore inſigni, calor enim & frigus aduerſaria ſunt flatus generationi: Ex parte ſeminis præpeditur actus venereus, vel quia deficit ex toto, vel maiori ex parte, vel alio tranſmittitur, vel quoniam vitioſum eſt, cum autem ſeminis materia ſit ſanguis, cui multus ſpiritus intermixtus ſit, & ſanguis à iecore, & ſpiritus à

corde generentur, & à natura ad vaſa ſeminalia, ac teſtes tranſmittantur, in quibus eorum peculiari facultate in ſemen conuertitur, ſi ſanguis & ſpiritus deficiant vitioſo aliquo affectu horum viſcerum, erit vel intemperies inſignis, vel obſtructio, vel quiuis alius ſimilis, vel deficiet ratione ieiunii, vel cibariorum modicum ſanguinem generantium, vel immoderatæ euacuationis, vel aliarum cauſſarum, quas virtutem imbecillem reddere poſſe dictum eſt, ſed ſi alio conuertatur ſanguis, vt ſufficiens copia ad genitalia membra non tranſmittatur, fit huiuſmodi impotentia: hinc eſt, quod Ariſtoteles ſcripſit, obæſa corpora veneri incpta eſſe, eo quod ſanguinis portio, quæ demandari ad conficiendum ſemen deberet, tota in pinguedinem conuertatur; Tandem ſi ſemen ſit frigidum, ac tenue, vel frigidũ, & craſſum, & expers ſomnis mordacitatis, ſolent ignauia reddi genitalia membra: His cauſſis internis addamus externas, inter quas primus locus aſſignandus eſt incantationibus, ac veneficiis vulgo ligaturis appellatis, quibus maleficæ mulieres conſueuerunt reddere homines ad coitum impotentes, modo ad omnes mulieres, modo ad vnam tantum, qua de re ſatis fuſe ego ſcripſi in tertio libro de Veneficiis; ſecundo loco accedit aër, vel nimis frigidus, vel nimis calidus, nam maior pars brutorum animalium neque ſummis frigoribus, neque ingenti calore concumbit; poſtremo motus corporis immodicus, & motus animi vehemens, vt pu-

lib. 1. de part. animal. c. 6.

dor, timor, amor, hanc impotentiam inducere ſolent, balnea item, ieiunia, cibi refrigerantes & exiccantes, idem faciunt. Illa genitalium ignauia, quę fit ex vitio contracto ab ipſo ortu, nunquam, vel rariſſimè curationem recipit, quæ etiam ex maleficio contrahitur, vt plurimum non curatur; vel maxima cum difficultate; ex his ergo animaduerſis, neoterici medici ea ſeligere pt=terunt, quæ pro euentibus iudicandis erunt opportuna.

Virginem incorruptam eſſe, quibus poſſit deprehendi.

CAP. XI.

cap. propoſuiſti. de probationibus.

QVædam mulier, vt in iure pontificio ſcriptũ eſt, proponebat ſe virum minimè expertam eſſe, nec experiri potuiſſe, vir autem oppoſitum aſſerebat; res ſeptem mulieribus iudicanda delata eſt, quæ per corporis inſpectionem, ipſam incorruptam eſſe, ſententiam tulerunt; & quamuis Iureconſulti, vt plurimum obſtetricibus hanc quæſtionem extricandam tradere conſueuerint, quæ tamen ex imperitia; ſæpè ac ſæpius errare poſſunt, virginitatem enim duobus potiſſimum ſignis arguere ſolẽt, primo ex pellicula, ſeu membrana quadam carnea, quæ panniculum virginale, & hymen, vel eugion nuncupatur, & impedit, vt digiti in pudendum inſerere poſſint, hanc tamen

men membranam in diſſectione virginum non apparere multi rei anatomiæ periti, vel in pauciſſimis adeſſe arbitrantur, præterquam quod Galenus vſquam de hac membrana meminerit, & nõnullæ reperiantur adoleſcentulæ ita laſciuientes, vt manibus, vel inſtrumento aliquo ipſam membranam conſcindant, ac dilacerent: quare ſequitur hanc coniecturam de virginitate eſſe fallacem, ac dubiam. ſecundo loco ſolent arguere virginitatem ex locorum anguſtia, & conniuentia, quod quidem ſignum non poteſt eſſe in omnibus, cum ex vno, vel paucioribus congreſſibus venereis collum pudendi multum aperiri, ac dilatari non poſſit, ita vt fieri poſſit, vt violata ſit virgo, & tamen loca illa adhuc ſint anguſta, & quod etiam ſint ex frequentioribus coniunctionibus dilatata, ac valdè hiantia, arte tamen ſint ſurrugata & aſtricta; quædam enim callidæ vetulæ norunt certa medicamenta adſtringentia vitiatis virginibus adhibere, ita vt incorruptæ appareant; accedit quod iſtæ locorum muliebrium conniuentia in nonnullis vtero gerentibus, & maior aliquando reperitur, quàm in virginibus, vt virum admittere, vel maxima cum difficultate poſſint. Ideò cũ hæ notæ ſint admodum fallaces, ſi res ad medicos erit delata, opus eſt alia animaduertere, vt pluribus adhibitis ſignis, tutius de virginitate, vel corruptione, ſententia ferri poſſit; & primo inſpici debent vrinæ, quæ ex cuiuſdam peritiſſimi viri opinione tenuiores, ac clariores ſunt in virginibus, in cæteris vero mulieribus ob

vias latiores, ac patentiores, & vteri excrementa, quę vrinis miſcentur, turbidę & craſſæ cum multo ſedimento excernantur; ſecundo de quibuſdam periculum faciendum eſt, qua virginitatem deprehendere creditum eſt, nam ſi ex gagate lapide, auctore Plinio, vel ex lapato ex Alberto mulier pannis optimè tecta, fumigetur, ſi erit incorrupta, non percipit exhalationem, vel vapores ad os, vel nates aſcendentes, prætereà ſi ex melanthio fumigia fiant, ſi mulier virum ſit experta, extemplo mingit, quod ſi ex floribus lapati, ſi eſt incorrupta, ſtatim palleſcit; tandem ſi qua gagatis fruſtula cum aqua biberit, ſi fuerit vitiata, continuo vrinam emittet, neque ipſam cohibere poterit: Cōſuentia vero, & adſtrictio medicamentis facta poterit deprehendi, ſi cum quibuſdam laxantibus, & calefacientibus muliebria loca foueantur.

lib.36.c.19.

Quibus ſignis mulier grauida dignoſcatur.

CAP. XII.

QVoniam nonnulli ſunt euentus, in quibus dubitari contingit, an mulier in vtero conceperit, vt ſi defuncto viro abſque filiis ſubſtituti hæredes, adire hæreditatem velint, vel ſi mulier in quęſtionem ſit danda, cum ſigna conceptionis ſint admodum fallacia, & ſimilia eis, quæ menſibus deficientibus apparent, potioraque ex relatione mulierum habeantur, quæ vt ſuam occultent

cultent malitiam, plurima referre, vel tacere poſ-
ſunt, quorum ratione medicos errare contin-
gat, ea propter medici hac in re ſolertia, ac pru-
dentia vti debent, ne cum aliorum iactura, ſuo
dedecore, ac ſalutis periculo decipiantur; ſigna,
quæ ſunt communia prægnantibus, & menſtrua
purgatione præter naturam carentibus, ſunt
ipſorum menſium defectus, qui ex præſcripto
naturæ, & præter intentum ipſius ſupprimi ſo-
lent, inappetentiæ, ventriculi ſubuerſiones, vo-
mitus, maculæ quædam, ſeu lentigines in facie
efflorefcentes, & lac in mamillis; peculiares ve-
ro & magis propriæ prægnantium notæ erunt,
cum vteri oſculum eſt molle & interius, & exte-
rius adeò conniuet, vt ne ſpecilli mucronem ad-
mittat, & pleniore, diſtentoque iam vtero, os in-
terius quod oblongum eſt, breuius fit, ac retra-
hitur, ſurſumque remeat, vt vix immiſſo digito
attingi poſſit, oculi videntur diſtracti, cauioreſ-
que, & candidum albedinis naturam non habet,
ſed liuidius apparet aliquibus, & præcipuè fœtu
grandeſcente, quibuſdam ad agendum torpor
adeſt, & aſpectus languidus, ac plenè effœmina-
tus efficitur, & color ad albedinem, ac pallorem
mutatur, venæ inter oculorum angulos, & na-
res ſitę conſpicuæ magis apparent, prægreſſo ple-
runque rubore, ſi fœminæ viriliores fuerint,
cum aliquantulum exercentur arteriæ, quæ per-
reptant, iugulum plus ſolito pulſant, ceruix cali-
dior, dorſum vero frigidius, colli, venæ, arte-
riæque extenduntur, circà papillas fit circulus

quidam obſcurior, liuidiorque, aut rubicundior apparet; reſpiratio fit parua, ac frequens, pulſus celeriores, ac crebriores; fœtu grandiori facto latera, lumbique expanduntur, ac dilatantur, venter citra manifeſtam grauitatem intumeſcit, cui ſi manus calidæ admoueantur, ſi ſit in primis menſibus, percipitur, fœtum leni, blando, ordinatoque impulſu, aut quaſi muſcæ volatu moueri; multa alia ſunt ſigna, quæ mulierem concepiſſe indicant, quæ quoniam requirunt expertas, & veridicas mulieres, pretermittere cõſulto volui, nec non pericula quædam, quę ad deprehendendam vteri gerentiam fieri cõſueuerunt, cum ſint parum tuta, & multum fallacia.

Vtrum medicus cognoſcere poſſit, mulierem partum abegiſſe, ac de medicamentis abortiuis.

CAP. XIII.

CVm quis mulieri prægnanti medicamentũ aliquod ad excutiendum conceptum dederit, aut ipſa mulier acceperit, vel ex induſtria fœtum ipſum eiecerit, iuriſperiti, ac iudices medicis, hanc etiam quæſtionem deferunt, vt ſententiam ſuam dicant, an illud medicamentum, vel quid aliud peractum abortum facere aptum ſit, quibus quidem ſatisfacere medici poterunt, ſi quidnam mulieres egerint, vel quale fuerit medicamentum propinatum, vel acceptum, nouerint; mulierem tamen vtero gerentem partum abegiſſe,

egiſſe, minimè cognoſcere poterunt, cum id ex ſola ipſarum mulierũ relatione cognoſcere poſſit, quæ ne puniantur, & de ſua fama detrahatur, pertinaciter negare ſolẽt ſe vterum geſiſſe, multoque minus conceptum corrupiſſe; Hippocrates enim & 5. lib. aphor. & lib. 1. de morb. mul. cap. 4. Aetius in Ser. 16. necnon Auicenna 21. 3. docuerunt tr. 2. c. 9. ſigna futurum abortum indicantia, factum vero nequaquam. Quæ abortum prouocare, vel facere, quopiamue alio affectu perimere, vel aliquas membranarum eius corrumpere poſſint, docet Galenus lib. 3. de nat. fac. quæ medicamen- cap. 12. ta abortiua, & ex Hippocrate primo in ſextum com. 2. epid. amblotica nuncupauit; Vt autem medici ſcire poſſint, an medicamẽta exhibita ſint de genere abortiuorum, inter alios auctores legant Aetium in ſermone 16. partem priorem harmo- cap. 18. niæ gyneciorum, Nicolaum Rochæum libro de cap. 6. morbis mul. Montagnanũ cons. 208. libellum cap. 22. de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus, ſecundum locos ex Dioſcoride, ac Matthioli commentariis conſcriptum, penes quos ſyluam horum medicamentorum reperire poterunt.

Vtrum mulier poſt decimum menſem parere poßit, & partus ille ſit legitimus.

Cap. XIIII.

SI mulier poſt viri obitum decimo mẽſe tranſacto pariat, legum interpretes exploratum non habent, an partus ille ſit legitimus marito

iam mortuo, & ad eius hæreditatem ſit admittendus, cum variæ fuerint de hac re ſententiæ; Vlpianus enim in l. inteſtato poſt decem menſes. ff. de ſuis, & leg. hæredi. poſt decē menſes natum ad legitimam hæreditatem non admittit, & Iuſtinianus in quadam epiſtola, quæ in nouis cōſtitutionibus habetur, aſſerit in quæſtione apud eum propoſita de decimeſtri partu, pronunciaſſe partum illum non fuiſſe legitimum; Adrianus tamen, referente Aullo Gellio, in Romana quadam in vndecimo menſe fœta, cauſſa cognita decreuit in vndecimo menſe partum edi poſſe, requiſitis veterum philoſophorum, ac medicorum ſententiis, ideo rem vti ambiguam Iureconſulti deferunt ad medicos, qui vt facilius, ac tutius in caſibus propoſitis ſuam dicere ſententiam poſſint, indagare, ac diſputare debemus, an partus humanus ad vndecimum vſq;, vel duodecimum menſem protrahi poſſit; non deſunt enim pro vtraq; parte auctoritates, & rationes; & primo pro parte affirmante, nam cum nullum videatur certum ſtatutum tempus pariendi mulieribus, nullum etiam ſequitur abſurdum, mulieris partum ad vndecimum, & duodecimum menſem prorogari poſſe, Ariſtoteles enim ſcriptū reliquit, cætera animalia ſingulari, ac ſimplici modo partum ſuum perficere, vnumque pariēdi tempus ſtatutum omnibus, homini vero vni multiplex datū eſſe, nam & ſeptimo menſe, & octauo, & nono mulieres parere poſſunt, atq; plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt, Plinius quoque

lib. 3. noc. att. c. 16.

lib. 7. de hiſt. animal. c. 4.

quoque veſtigia Ariſtotelis ſequutus memoriæ prodidit, cæteris animantibus ſtatutũ, & pariendi, & tempus gerendi eſſe, hominem vero toto anno & incerto gigni ſpatio, alium ſeptimo menſe, aliũ octauo, & vſq; ad initia decimi, & vndecimi; ad vndecimũ menſem partum prorogari poſſe, Hippocratis auctoritate comprobari poteſt. in lib. enim de alimento, cum quattuor recenſuerit ſent ntias de formatione, motu, & exitu conceptus, propriam exponens opinionem, ait, non eſt, fiunt autem in his, & plura, & pauciora, & totum, & ſecũdum partem, non multo autẽ plura, aut pauciora; pauciora autem tot, & quęcunque alia his ſimilia, hoc eſt eſſe, & non eſſe, id quod ab vnaquaque illarum opinione eſt definitum, & nõ fieri ſtatutis temporibus iam enarratis, ſed in pluribus etiam, ac paucioribus; cum autem vna illarũ ſit ad perfectionẽ fœtus, ac partus requiri dies trecẽtos, ſi ex Hippoc. in pluribus etiam fiat perfectio, mulieres etiã in vndecimũ menſem vſque vterum ferre poterũt, manifeſtius verò hoc expreſſit libro de ſeptimeſtri partu: porrò, inquit, mulieribus de partubus fidẽ derogare non oportet, dicunt enim omnia, & ſemper dicunt, & ſemper proferunt, neque enim opere, aut ſermone perſuaſæ ſunt, ſed ex eo quod cognouerunt accidiſſe in corporibus ſuis, quæ vero iudicio ſunt præditæ, & victoriam de hac ſententia pronunciant, ſemper dicunt, & teſtantur naſci ſeptimeſtres, & octimeſtres, & nouimeſtres, & decimeſtres, & vndecimeſtres, ex quo poſteà

tex. 40. tex. 3.

ſe rogaſſe mulieres, quæ de partus geſtatione, atque conceptione exactiſſimam rationem reddere videbātur, & cum iudicio haud quaquam vulgari, quæ omnes nouem menſes verè ſupputabant, relicto illo, in cuius fine menſtrua purgatio defeciſſe primum notabatur; Imò ex his aliquot non ſolum illum menſem fore relinquendum contendebāt, ſed alterius quindecim dies detrahendos eſſe calculo, qui cum quindecim aliis primi menſis, menſem conſtituerent, ex qua computatione decimeſtres exultare tales partus, ac nonnunquam vndecimi menſis principium attingere eſſe ſatis manifeſtum; Quam plures alii ex recentioribus medicis in eandem abiere ſententiam, partum prorogari poſſe ad vndecimum mēſem, Nicolus Florentinus, Antonius ab Altimari, Franciſcus Valleriola, Antonius Franantianus, Victor Turicauelius, Ludouicus Mercatus, ac Frāciſcus Valleſius; Rationibus etiam confirmare poſſumus, varios eſſe partus humani terminos, & potiſſimum ad vndecimum menſem prorogari poſſe, & primo, ratione formatricis facultatis, ac genitalis ſeminis: cum enim in diuerſis illa minus, vel magis potens ſit, & materia aptior, vel ineptior, ſequitur in omnibus penitus idem tempus formationis, & geſtationis eſſe non poſſe, quod manifeſtè patet exemplo relato à Plinio Veſtiliæ, Herdiſii Pomponii, ac poſtremo Orſiſi cōiuge, quæ ex diuerſis viris partus diuerſis temporibus edidit, alium octauo, alium ſeptimo, & alium vndecimo menſe: ſecundo ratione ſexus,

nam cum ex Ariſtotele 7. de hiſt. animal. & Galeno etiam fœmina tardius abſoluatur, ac tardius moueri incipiat, ex quo cęteris paribus etiam tardius fœmina in lucem ſuſcipitur quàm maſculus, & ideo idem Ariſt. dixit, maſculum in nono menſe frequẽtius naſci, ad decimũ verò magis fœminam pertingere; Tertio ratione vteri, eius cotilidonum, alimenti, ac fœtus; cum enim vteri & conformatione, & habitu, ac temperatura non parum differant, ita vt alter altero maiorem, vel minorem diſtenſionem admittat, & cotilidones in quibusdã fortiores, in aliis imbecilliores ſint, fœminæ diuerſis alimentis, & quantitate vtãtur, ac infantes variè moueantur, fit, vt ſi vterus multam patiatur extẽſionem, cotilidones ſint validi, prægnans multo abundet ſanguine, & fœtus ſit imbecillior, ac tardius moueatur, vt iſte partus ad vndecimum menſem facillimè protrahi poſſit; *tr. de vſu part.* Nec mirandum eſt, hominem tam diuerſos partus terminos habere, cum teſte Galeno, nullum animal negligentius ſe habeat æque dũ concipit, ac dum vtero gerit, nec quamplures, ac maiores committat errores, quæ & vteri, ac fœtus corpus tranſmutare poſſunt, quorum ratione nõ parum protrahi partus extra præſcriptos à natura terminos poteſt. Itaque cum rationibus pateat, mulieris partum ad vndecimũ menſem prorogari poſſe, & id atteſtentur multi auctores cum philoſophi, tum medici, hiſtoria, ac poetæ, & illi quidem omni exceptione maiores, & repertæ fuerint mulieres indubitatę probitatis, ac pudicitiæ, quę fœ-

tum in vtero geſſerint ad vndecimũ menſem, & vltra, videtur ſane tuta conſciẽtia, ſi caſus eueniat vndecimeſtris partus, ſi conditiones deſcriptæ conueniant, medicos pro tali ſententiã ferre poſſe. Videtur tamen Hippocratem, Ariſtotelem, & Galenũ vnà cum Varrone & Macrobio diuerſam habuiſſe ſententiam; Hippoc. enim lib. de natura pueri ſcribit, fœtus perfectionem, ac naturalem partum decimo vteri gerentiæ tempore fieri: ait enim, quod autem non diutiùs, quàm decẽ menſibus contingat vterum geſtare, ego demonſtrabo: nam alimentum & augmentum, quod à matre deſcendit, non amplius ſufficiens eſt puero, vbi decem menſes præterierint, & fœtus acutus fuerit, & poſt pauca iterum ait, atque hæc, vt longiſſimè in decem menſibus fiunt, & quod quæ longius, quàm decem menſium tempus vterum geſtare viſæ ſunt, deceptæ ſint; præterea in lib. 6. epid. videtur duo partus tempora ſtatuere ſeptimum, ac nonum menſem, cum ait, qui in ſeptuaginta mouetur, is trinumero perficitur, qui vero nonaginta, is etiam triplicato numero abſoluitur, nam qui ſeptuaginta diebus mouentur, ſeptimo menſe in lucem prodeunt, qui vero nonaginta, nono, numerus enim ſeptuagenarius triplicatus facit ducentos, ac decem dies, qui ſunt mẽſes ſeptem, & nonageſimus triplicatus facit ducẽtos, ac ſeptuaginta dies, qui ſunt nouem menſes; eandem videtur cum Hippocrate habuiſſe ſentẽtiam Ariſtoteles aſſerens, qui diuturniores, quàm vndecimo naſci vidẽtur,

tex. 37. 38. 39. *tex. 41.* *par. 7. n. 29.* *lib. 7. de hiſt. anim.*

latere putantur, latet enim mulieres conceptus initium,&c. Galenus fœtum nouem menſibus in vtero perfici explicat, dicens, quippè nouem menſibus pleriſque mulieribus perficitur in vtero fœtus, quod fuit ab eo alibi confirmatum, ſanè eadem virtus, quæ ſic de fœtu eſt ſollicita, vt nouem menſium ſpatio eius ſuſtineat pondus, atque, vt abſolutus tuto emittatur, prouideat, & paulo ſupra de vteris loquens ait, qui tum fœtus grauitatem, tum ſui diſtenſionem nouem menſibus pertulerunt, & abſoluto in eis fœtu ad eius expulſionem ſe comparant; Varro etiam cum dixiſſet, vndecimo menſe aliquando naſci hominem, addit, antiquos Romanos nō recepiſſe huiuſmodi quaſi monſtroſas raritates; ſed nono menſe, aut decimo, neque prętet hos alio partionem fieri ſecūdum naturam exiſtimaſſe. Macrobius memoriæ prodidit, humano partui frequētiorem vſum nouem menſium, certo numerorum modulamine naturam conſtituiſſe; Aullus quoque Gellius teſtatur, multam opinionem eſſe, eamque iam pro vero receptam, gigni hominem ſeptimo rarenter, nunquam octauo, ſæpè nono, ſæpenumero decimo menſe, eumque eſſe ſummū finem gignendi hominem decem menſes non inceptos, ſed exactos. Quidam nobilis, & eruditus ſcriptor, vt contradictionem, quam manifeſtam eſſe in dictis Hippocratis, ſatis ſuperque notum eſt, tempus enim partus modo in nonum, vel decimum, modo in vndecimum menſem ſtatuere videtur, aſſerit Hippocratem aliquando

lib.3. de nat.fac. cap.3.

2. de ſympt. caus.c.3.

lib.1. in ſomnum Scip.c.6.

quãdo computaſſe geſtationis tempus per menſem ciuilem, qui dicitur à Galeno menſis coniunctionis lunæ cum ſole, & conſtat ex diebus viginti nouem cum dimidio. & nõnunquam per menſem lunarem, qui eſt in duplici differentia, alius enim ex viginti ſeptem diebus, & horis octo, & alter ex viginti ſex diebus cum dimidio conſtituitur, & ideo ex diuerſa etiam menſium computatione, varios ac diuerſos conſtituiſſe terminos; ſed an verum ſit, quod à doctiſſimo illo viro aſſeritur; mihi dubitationem facit auctoritas ipſius Hippocratis, qui in libro de carnibus geſtationis tempus per menſem ſolarem, qui ex eo triginta diebus cõſtituitur; ſupputãdum eſt, dum ſeptimeſtrem puerum legitimè, & natum, & vitalem eſſe affirmat; quod & rationem, & numerum habeat ad hebdomadas exactum, nempe tres decades hebdomãdum complectentem, in vnaquaq; autem hebdomadum decade ſeptuaginta dies ineſſe velit: ſic etiam eodem loco nouem menſium, decemque dierum partium eadem ratione vitalem eſſe confirmat, quod quattuor hebdomadum decades, ſeu dies ducentos, & octaginta contineat; ita quod ſi ſeptimeſtris partus ducentos, ac decem dies, ſeu tres hebdomadum contineat, fit; vt ſi eos dies per ſeptenarium diuiſerimus, triginta in ſingulos menſes cõſurgant dies; quam ſupputãdi rationem ſecutus fuiſſe Auicenna videtur, qui ſeptimeſtrem partum ducentis, ac decem diebus perfici, atque in lucem edi, nouimeſtrem verò ducentis ſeptuaginta aſtruxit, & *tex. 21.* *fen. 21. 3. cap. 2.*

ex quo fateri neceſſe eſt ſolaribus menſibus, non lunæ motu actis geſtationẽ in vtero matris metiri debere, vt ſingulis menſibus triginta dies more græcorum reſpondeant tam in ſeptimeſtri, quam in nouimeſtri partu, cum hic ducentis, ac ſeptuaginta diebus, ille ducentis, ac decem naſcatur; hos enim ducentos dies, ac decem ſi ſeptenario numero partiaris, triginta arithmetica ſupputatione conſtabant, vel ſi triginta dies ſeptenario ducas, ducentos, ac decem dies conficies, ſepties enim triginta hunc numerum dierum cõficiunt, vti nouies triginta ducentos, ac ſeptuaginta. Quare pro hac enucleanda difficultate, dicere poſſumus, quod cum res naturales, eo quod conſtent ex materia, quæ ſemper tranſmutationi eſt obnoxia, & à qualitatibus contrariis agitata, nullam ferè neceſſitatem habeant, ſed variationi, ac mutationi ſubiectæ ſint, adeo vt quamuis multa de illis in vniuerſum, & generali ratione pronuncientur, ea tamen non ita perpetua eſſe, vt mutari interdum non poſſint, præterquam ſi qua ſint, quæ illarum propriam conſtituunt eſſentiam, aut illam intimius ſequantur, ideò philoſophorum præſertim naturalium, ac medicorum enunciata, ſeu regulæ veræ, vt in pluribus ſunt, & maiori ex parte, non autem omnino, ac ſemper, ita vt in rebus naturalibus vix quippiam reperiatur, quod omnino impoſſibile, aut neceſſarium ſit iudicandum, ideo quando Hippocrates, & cum ipſo alii aſſerunt naturalem pariendi terminum eſſe nonum, aut decimum

mum menſem, intelligendum eſt quod frequentius, & maiori ex parte fit, non autem quin & ſecus interdum fieri non poſſit, quod quidem manifeſtum eſt ex Ariſtotele aſſerente, mulieres, vt plurimum decimo menſe parere poſſe, nonnullas etiam vndecimum attingere; ex quibus etiam ſtatuunt eruditiſſimi nonnulli viri, iuſtum, ac maximè ſecundum naturam grauidationis limitem, decimum menſem exactum eſſe, nec vltra illud tempus ob alimenti inopiam, & loci anguſtiam conſiſtere fœtus in vtero poſſe, niſi fortè ad duos vel tres dies vltra decimum menſem partus ſe extendant, totos enim vndecim menſes conſiſtere fœtum in vtero naturę rationem non admittere, & hoc eſſe quod intelligunt Hippocrates, & Ariſtoteles, quaſdam mulieres vndecimum, hoc eſt vndecimi menſis paucos dies attingere, idque eſſe quàm rariſſimum.

Nonimeſtris partus mulieris, quæ viro defuncto poſt paucos dies alii nupſerit, cuius ſit cenſendus.

CAP. XV.

SI mulier poſt mortē mariti infrà paucos dies denuo in matrimoniū coniungatur, filiumq; in nono menſe pariat, ita quod partus poſſit eſſe vtriuſque viri, cuius iudicandus ſit, medicorum iudicium expoſtulatur, qui vt veritatem quantum fieri poteſt aſſequantur, quibuſdam coniecturis inniti debent, & poſito quod ambo fue-

dicũt, imum ventrem leuiter dolere, perceperit, tunc concepiſſe erit coniiciendum; Inſuper cum veneris appetẽtia languet, vel abominabilis euadit, menſes retinentur, aut multum imminuuntur, vini vel ciborum auerſio ſequatur, manifeſta erunt conceptionis ſigna, de quibus & aliis relatis in capite duodecimo puerpera eſt interroganda; facta enim temporis computatione prudens medicus poterit cõiecturis his aſſequi, cuiuſnam viri ſit ortus infans, & muneri ſuo ſatisfacere.

Quaſdam mulieres quinquageſimum annum agentes, concipere poſſe, probatur.

Cap. XVI.

FOeminam, quę quinquageſimum annum exceſſerit, non eſſe ad concipiendum idoneam, & ſi concipiat, eſſe rarum ac admirandum, arbitrantur Iurecõſulti, vt Iaſon, Socinus, Fulgoſius, & quam plures alii citati à Rolãdo à Valle cons. 96. n. 33. vol. 3. & ideo ad probandum natum eſſe ex quinquagenaria, euidẽtiores probationes requiri, quod ſi medicorum in hoc argumento perquiratur opinio, vt ex ipſorum, ac philoſophorum fundamentis reſponderi poſſit, ignorandum non eſt, quod cum conceptus ex ſanguine vteri nutriri debeat, vt auctor eſt Galenus, ſi mulieri menſtrua deficiant, neceſſarium eſt, vt & cõceptu careat, ſeu vt gignere non poſſit; cum enim

l. ſi maior C. de legit. hære. l. ſi ſterilis. ff. de act. emp. & vend.

de Vena ſect. ad Eraſiſt. cap. 5.

occluſis vaſis leui & lubrica relicta vtero, ſemen eiaculatum à viro adhærere ipſi, atque vniri non poſſit, nutrimentoq; careat, defluit, nec ex eo cõceptus fieri poteſt, principium enim & finis mulieribus prolis recipiendæ, vt teſtatur Ariſtot. eſt menſtruorũ emiſſio, ideò tamdiu menſtrua mulieribus copiosè, & ex naturæ præſcripto fluunt, quamdiu etiã concipere poſſunt; ſecũdo loco eſt conſiderandũ tempus perſiſtentiæ mẽſium, Ariſtoteles arbitratus eſt, mẽſtrua plurimis deſinere circa 40. annum, quod tempus cũ exceſſerint, iis ad ſexageſimum ſeruari, & nõnullas eo tempore
ſer. 16. c. 4 parere; Aetius, & Paulus dixerunt, aliquas deſi-
li. 3. c. 60. nere purgari circa quinquageſimum, & paucas vſque ad ſexageſimum purgari, & quibuſdam à trigeſimo quinto anno, & maxime pinguibus menſium defectus inchoari, vt plurimum tamen 50. anno mẽſtrua deficere, & eiuſdem opinionis ſunt omnes ferè medici, quos Solinus imitatus ſcripſit, mulierum fœcũditatem poſt 50. annum conquieſcere, quamuis aliqui ſexageſimum ſtatuant, eandem etiam videtur habuiſſe ſentẽtiam
cap. 12. D. Auguſtinũ in lib. 1. de mirabilibus Sacræ ſcripturæ, ſi tamen illius ſit liber, vbi ſcribit Sara ſterilis filium Iſaac nomine iam nonagenaria peperit, tum illam vſque per totum vitæ ſuæ ſpatium ſterilis fuit, ſed hoc valde conueniebat, vt quoniã filius, quem parturiebat, ipſam figuram Chriſti, qui ex ſola Virgine ſine aliqua humanæ voluptatis cupiditate naſceretur, pertulit, illum non ætate qua ſolent fœminæ parere, id eſt à duodecimo

vſque

vſque ad quadrageſimum nonum, ſed contra illius conſuetudinis metas parturiret, vt ſcilicet ille infans, non ſolum vltra 50. annum, deſinēte, ſcilicet partus officio, ſed etiā 90. anno naſceretur, deſinente voluptatis deſiderio; lib. etiā 16. de Ciuitate Dei ait, loquens in perſonam Abrahæ, ſi mihi centum annorū habenti naſcetur filius, & ſi Sara 90. annorū pariet? Menſiū verò defectus cauſſam in caloris diminutionē referri poteſt, ratione cuius nec copioſus ſanguis generatur, vel pituitoſus gignitur nutritioni non idoneus, vel in caloris imbecillitatē ob quam vix expultrix valde ſegnis, ac debilis facta nō ſufficiat per longinquas partes, anguſtioreſque venas expellere hunc ſanguinem, venarumque ora adaperire: Aliquas tamē vltra quinquageſimum peperiſſe ex Hippoc. aliiſque ſatis patet, Hippocrates enim 2. lib. Epid. refert, vxorem cuiuſdam coriarii, quæ cum multos annos haberet, filium cōcepiſſe, ac peperiſſe, præterea Corneliam è Scipionum genere Voluſium Saturninum poſt 62. annū genuiſſe, ex veterum monumentis conſtat, Valeſcus à Taranta medicus non ignobilis teſtatur, ſe vidiſſe puerperam, quæ ſexageſimo ſeptimo ſuæ ætatis anno pepererat, cū alios ſexageſimo, & ſexageſimo primo anno peperiſſet; Victor Irinca Vellius etiam refert, vnam yllificam ſe nouiſſe, quæ robuſtiſſima habitu, figuraq; corporis ſimillima viro erat, & nunquam per menſes purgabatur, ac ſemel tantum, cum tamen vſque ad ſenectutem cum viro vixiſſet, in vtero habuiſſe, cum reliquo tem-

cap. 26. *ſec. 2. t. 18.* *li. 6. c. 12.* *lib. 10. de cur. rat. cap. 3.*

pore fuiſſet infœcunda. Cum igitur,& ratione, & experimentis compertum ſit,aliquas mulieres in ſexageſimo anno, & vltra etiam concipere,& concepiſſe, aliquam mulierem in quinquageſimo anno parere non erit ita rarum,ac mirãdum, vt aſſerunt legum interpretes. Hac autem in re ſatis dubia aliquid certi ſtatuere debemus, ad cuius præſcriptum de euentibus iudicare poſſimus; illud autem erit, quod cum nulla ſtata ratio, nullus præfixus finis ſit mulieribus concipiendi,cum aliæ aliis temporibus,aut tardius generandi tempora finiãt,aut proferant, ſi caſu fiat,vt quinquagenaria, vel vlterioris ætatis pariat, & dubium oriatur, an verè genuerit, animaduertenda ſunt ipſius mulieris temperamentum, habitudo, victus ratio,locus, & alia huiuſmodi, nec fluentes menſes dumtaxat attendendi ſunt,cum ipſi ac ſemen,vt teſtatur Ariſtoteles, cum incipiũt, atq; deſinunt,ſint pauciora,ac infirmiora, ãc proinde non prolifica, nam ſi fuerit temperamenti calidi & humidi apti ad multi ſanguinis generationem, virium roboris plurimum habeat,& victus ratione vberiori, & nutriente vſa fuerit, clementique ſolo educata, hãc tuto concepiſſe decernendum erit;mulieres enim, quæ habitum frigidum, & humidum, vel frigidum & ſiccum, vireſque imbecilles habent, cum ad quinquageſimum annum peruenerint, vt generent,rariſſimè euenire poteſt.

lib. 7. de hiſt. animal.

Diſſimi-

Diſſimilitudo nati ad parentes, an ſit ſufficiens argumentum adulterii, ex quo de cauſſis ſimilitudinis, ac diſſimilitudinis filiorum cum genitoribus agitur.

CAP. XVII.

SI mulier edat partum egregia forma præſtantem, ſeu deformem, ac monſtroſum patri ſuo, ac toti proſapiæ diſſimilem, Iureconſulti, & potiſſimũ Iaſon in l. Gallus. ff. de liber. & poſth. dubitant, vtrum diſſimilitudo ſit ſufficiens cauſſa ſuſpicãdi de adulterio in mulierem, & de adulterio punienda; In qua controuerſia, vt quid ſentiendum ſit, conſtet, operæ precium eſt cauſſas ſimilitudinis, ac diſſimilitudinis indagare, quibus inuentis erit facilè diſceptationem hanc dirimere; Hippocrates in lib. de genitura, cauſſam ſimilitudinis, ac diſſimilitudinis in multitudinem ſeu copiam, & in paucitatem, ac inopiam vtriuſque parentis genituræ refert, ita vt ſi viri ſemen ſit ſemine mulieris vberius, natus patri aſſimiletur, & è contra ſi exuberet genitura mulieris, fœtus ipſi etiam ſimilis naſcatur, vbi vnum etiam aſſerit, quod ſenſui repugnare videtur, eſſe nempè impoſſibile, vt natus per omnia ſit ſimilis vni, & alteri nihil, ſed opus eſſe, vt vtriſque in aliquo ſit ſimilis, eiuſdem etiam ſententiæ patet fuiſſe Galenum in lib. 2. de ſemine, vbi natorum ſimilitudinem ad parentes ex membrorum formatione exiſtere docet, nõ ex iis quæ ſpeciem conſtituũt, tex. 8. cap. 4.

ſed ex differentiis quæ ſpeciebus, ſeu magis ſingularibus accedunt, quod hic albus, niger alter, hic adunco, ille ſimo naſo, ex iis inquam differētiis ſimilitudines natorum deſumi, eam verò ſimilitudinē à materia, hoc eſt à menſtruo procedere non poſſe probat, quoniam natos omnes ſimiles matri eſſe oporteret, & patri neminem, cū tamen alterutris ſimiles naſci videamus; non à ſemine tantum maris, quem ſolum ab ipſo, non autem à fœmina effundi voluit Ariſtoteles, quia nunquā ſimiles matri naſcerentur, cum autē partus ſimiles vtriſque naſcantur, ex communi, quæ vtriſque ineſt cauſſa, ſimiles reddi neceſſe eſt, ex ſemine, nempe qui ab vtriſque emanat, ideò partum ei ſimilem reddi, cuius vix formatrix in ſemine præualuerit; Galenus quamuis in hoc argumento multa exactè, quæ ego conſulto omiſi, tradiderit, non omnia tamen ſicut nec Hippocrates examinauit, nec omnium rationem reddidit, cum nec cauſſam, cur nonnunquam, neque patri, neque matri ſimiles, ſed maioribus ſuis nati euadant, attulerit, nec cur interdum, nec parentibus, nec maioribus ſimiles naſcantur, ſed alienis & exteris, vt in propoſita quæſtione nos quærimus, & optamus inuenire ad tutandam mulierum pudicitiam, quæ de adulterio arguendæ eſſent, ſi vera eſſet Hippocratis, ac Galeni opinio, vt natos alicui ex parentibus ſimiles naſci oporteat, hanc Hippocratis ſententiam Ariſtoteles confutauit in lib. 4. de gener. animal. & potiſſimum, quod ex eius relata cauſſa, non poſſit fa-

cap. 5. (margin, beside "dere non poſſe probat")

cap. 3. (margin, beside "ſci oporteat")

ſit facilè explicari, cur fœmina quandoque ſit patri, & mas matri ſimilis, ſi enim eo quod patris ſemen ſuperauit, mas gignitur, cur modo ipſe maſculus matri aſſimulatur, nec reddi ratio poteſt, cur nati maioribus ſimiles ſint, cum nihil ſeminis ab eis ſeceſſerit, duo tamē ſupponit Hippocrates, ſemen nempe fœminæ confluere ad generationem actiuè, & ipſum decidere ab vniuerſo corpore, omnibuſque totius particulis, quę Ariſtoteles non admittit, qui in eam abiit ſententiam, nonnunquam edi partus omnino & parentibus, ac proſapiæ diſſimiles, cuius diſſimilitudinis cauſſam reiicit in quoſdam generantium motus, qui cum nō ſoluuntur, ſiue nō impediuntur, ſimiles partus procreantur ipſis generantibus, & eo perueniunt, quo à natura ordinati ſunt, cum verò impediuntur, & eò non perueniunt, quo à natura conſtitutum eſt, diſſimiles partus fieri; & vt Ariſtotelis dicta planius intelligantur, primo animaduertendū eſt, ipſum arbitrari, natorū aliquos generari parentibus ſimiles, alios diſſimiles, nōnullos patri, & alios matri cum toto corpore, tum verò partibus ſingulis, & parentibus magis quàm maioribus ſuis, & iis potius quàm quibuslibet, & mares potius patri, fœminę matri, alii nulli conſanguineo ſimiles, ſed homini tantū, alii ne quidē homini, ſed iam mōſtro: Quo igitur ad ſimilitudinē, ac diſſimilitudinē natorum ad parentes, vt cauſſa ex Ariſtotele inueniatur, huius rei initia indagare debemus, ſunt autem præcipuè id quod generat, non ſolum marem eſſe oportere,

lib. 4. de gen. animal. c. 3.

ſed hunc quoque marem nempe Socratem, aut Coriſcum, hoc eſt marem ea forma, magnitudine, membrorum lineatura, habitu, quæ Socrati, Coriſcoue inſũt; Hinc profectò ſimilitudinis initia ducuntur, nam cum facultatem habeat, quod generat tale quod generabit, quale ipſum eſt, quamobrem cum & generans homo ſit, hominem certè procreabit, nec hominem ſolum, ſed talem qualis erat qui genuit, nempe marem, nec ſolum marem, ſed talem qualis erat qui genuit, nempe ſimo naſo, cæſis oculis, & ſimilibus, ita vt homo tria proponat generare, primo idem in ſpecie, ſecundo idem in ſexu, tertio idem in numero; cum igitur non ſoluuntur generantium motus, id quod gignitur, generanti ſimile euadit ſemper, mari mas, fœminæ fœmina, ſed cum ſoluuntur, tunc diſſimilitudo ſequitur, ſic Ariſtoteles, ſed naturæ & generantium motus ſolui quid ſit, minimè explicat; ego vero id eſſe cenſeo, vt tum ſolui dicantur generantium motus, cum in id cuius gratia ordinati ſunt à natura, impedimẽto aliquo ferri non poſſunt, nec eo peruenire, hoc eſt generationis perfectum finem, quo generantium motus properant, attingere non poſſe; cur autem ſic ſæpè naturæ motus ſoluantur in cauſſa eſt, quod omne agens à patiente in agendo repatitur, & ideo neceſſum quidem ſit tanto agentis retundi motum, quanta videlicet vis fuerit patientis in agentem, interdum enim id vſu venit, vt quod agit, magis patiatur, quam agat, cũ agentis vis imbecilla, eius verò in quod agit, valida &

da & fortis fuerit, ita quod dicit Ariſtoteles, ſi motus eius, qui generat, ſoluatur in ſuperiorum, atque maiorum à quibus prognati ſumus, tranſitum fieri, hoc eſt aui, abaui, & ataui; maiorum enim propria, hoc eſt quæ in ipſis peculiares notæ ſunt, ac delineationes in nepotum ſemine potentia inſunt, in eo inquam ſemine; vnde geniti ſunt nepotes, ea cauſſa eſt, cur interdum nepotes auis, non autem parentibus, qui eos generarunt, ſimiles naſcantur, quod parentis motus ſolutus ſit, degenerauit autẽ in eum, qui aui eſt; eſt enim auus patri proximus, qui nepotem genuit, à quo nonnihil in generantis ſemine proprium, ac peculiare deductum eſt, & in nepotis formam, ac ſubſtãtiam translatum; Cur autem mares interdum ſimiles ſint matri, hanc vult Ariſtoteles eſſe cauſſam, quod motus qui à mare eſt, ſuperauit, & propterea genitus eſt mas, ſed ob id matri nõ patri ſimilis, quod motus qui à tali mare eſt, nempe Socrate, vel Corиſco, nõ ſuperarit, vel quod motus patris tanquam ſingularis in fœtu defuerit; vicerit autem motus matris, qua talis eſt; eadem ratione fœminæ aliquando patrẽ referunt, quod motus qui à patre eſt, non vt mas eſt, ſed vt talis mas ſuperauit, & propterea fœmella quidem genita eſt, quod motus is, qui à mare erat, ſuperare non potuerit, ſimilis autem patri effecta eſt filia, quod motus à tali parente pro membrorum; & corporis habitu ſuperſtes in conceptu fuerit. Vt autem ſimilitudinum omnis exactè ratio teneatur, Ariſtoteles nonnulla proponit animaduer-

tenda, primum motus ineſſe alios potentia, alios actu; potentia quidem, vt in nepotibus maiorum vis, actu, vt in generante: Alterum quoties generationis motus ſoluuntur, degenerare in oppoſitum, quod ſuperatur, quæ cauſſa eſt, vt fœmina generetur; Tertium eſt, id quod ſoluitur tranſire in motum proximum, & ſi modicè ſoluatur motus, in propinquum, ſi magis in remotiorem fieri diſceſſum, demum ita confundi, vt nemini quidē ſuorum ſimiles nati fiant, ſed commune tantum relinquatur, vt homo ſit, nec tamen ſuorum quēpiam formā referat; cum igitur appareat ex relata hac ab Ariſtot. abditiſſima cauſſa diſſimiles parētibus poſſe progigni filios, ſequitur diſſimilitudinem natorum haud poſſe mulierem de adulterio arguere, qui tamen Ariſt. duas alias diſſimilitudinis natorū ad parētes cauſſas cōmemorare videtur in ſect. 10. Probl. variā ſc. hominis in coitu apprehenſionē, & imaginationē, cuius ratione variantur, & ſemina diuerſas recipiendo impreſſiones, & coitum imperfectū, qui fit, & ratione frequentię, & ratione modi, quia homo, vt plurimū ad coitum ſe pręcipitat, ac furioſè accedit, nō obſeruādo ea, quæ obſeruare deberet, quærit ergo, cur proles cæterorū animalium magis quàm hominis ſuis parentibus ſimilē gerat naturā, reſpōdet, quod homo vago varioq; plurimum animo in coitu eſt, prout autē pater, materq; in cōceptu fuerunt, ita partus euariant, cætera verò animantia, aut certè plurima rei tantum ipſi intendunt, totaq; ſeſe veneri dedunt; addit etiā quod ob eam

probl. 12.

auidi-

auiditatē minimè repleri magna ex parte patiuntur, eandem prorſus, & Plin. habuit ſententiam, *li. 7. c. 12.* hauſta enim imago, inquit, ſub ipſo conceptu ſimilitudinum reputatio eſt; cogitatio enim vtriuſlibet parentis animo ſubito tranſuolans effingere ſimilitudinem exiſtimatur, ideo plures in homine quàm in cæteris animantibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animiq; celeritas, & ingenii varietas multiformes formas imprimit, cùm in cæteris animantibus immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus, ſinguliſque in ſuo cuique genere. Quique ferè doctiſſimi viri & præſertim Quintilianus, Plutarchus, D. Auguſtinus, D. Hieronym. Cōciliator, ac Fernelius cauſſam diſſimilitudinis natorum ad parentes aſcribunt ipſi vehementi, ac variæ imaginationi inter concipiendum, vel in toto formationis tempore, quæ dominatur formatrici naturali ſeminis, imperatque ei eo modo, quo inferiores potētiæ parent ſuperioribus, & ſic imprimitur potius idolum, ſeu effigies imagine vehementer cōprehenſa, quàm paternū idolum in ſemine adſeruatum, imaginatio enim eſt tātæ efficaciæ, vt ad ſpeciem imaginatam mutetur ſpiritus corporeus, qui ad teſtes fœminæ, ac vterum perueniens, ſit veluti facultatis formatricis fundamentum & ſubiectum, qui poſtmodum iuxta imaginem imaginatiuæ impreſſam, fœtum efformare habet, eo quod ſit maioris efficaciæ, quàm genitiuus ſpiritus, q in ſemine paterno præfuerat, mouēt enim

actus potentius perficiunt, quàm ipſemet natu-
rales, vt eſt videre in ira, timore, triſtitia; ac cæte-
ris animæ paſſionibus; quæ potentius, & effica-
cius vniuerſum corpus turbare habent, & humo-
res vndiq; mouere, quàm ipſæ naturales; ex quo
conſtat ſpiritum illum ab imaginatiua potentia
prædicto modo motum efficacius ſuas exercere
vires, & formatricis effigiem delineare, quàm ipſa
formatiua, quæ ex parentis membrorum condi-
tione prodierat, & in ſemine præfuerat; quod
quidem exemplo mulieris albæ, quæ prolem ni-
gram genuit, eo quod fixis oculis, intẽtoque ani-
mo diu æthiopis imaginem comprehenderit, ex
Quintiliano S.Hieron. probat, quãuis hoc Plu-
tarcho aſcribant aliqui, apud quem mihi non li-
cuit legere, præſertim vbi de cauſſis diſſimilitudi-
nis verba facit, qui ſanctus Hieron. vnà cum diuo
Auguſtino, idem magis roborant ex hiſtoria re-
lata ab Hippocrate (quamuis in libris Hippocra-
tis hodie non reperiatur) cuiuſdam mulieris, quæ
cum ſuſpicione adulterii eſſet punienda; quod
puerum ſummè decorum vtrique parenti, gene-
rique diſſimilem, peperiſſet, adinuenta monitu
Hippocratis in cubiculo imagine, à ſuſpicione
eius ſententia liberata eſt: Hinc Iacob gregem
ſuum augere didicit, vt ſacræ teſtantur literæ;
virgas amygdalinas variis coloribus inciſas apud
canales diſponens, ad quos bibendi cauſſa oues
appellebant, vbi coeuntes illas conſpicerent, &
fœtus variorum colorum cõciperent, ex quibus,
multiſque aliis relatis hiſtoriis ſatis ſuperque pa-
tet

in quæſt. in Geneſ. lib.5. de plac. phil. c.11. & 12. lib.1. quæſt. ſup. Geneſ. c.93.

tet vim formæ, ſeu effigiei effectricem à cogitatione ſeu imaginatione gubernari, & duci frequenter, cuius ratione nati valde diſſimiles parẽtibus, & toti generi procreari, & mulieres à calumnia impudicitiæ vindicari poſſunt.

Quamplures alias quæſtiones Iureconſulti agitant, & ad medicos deferunt, vt de cauſſariis, ſeu valetudinariis militibus, qui à laboribus militiæ, ac de aliis qui à muneribus publicis, vel itineribus faciendis ſoluuntur, de aëris corruptione, de morbis contagioſis, ac de teſtãtium deſipientia, quas quidem ex Hippocratis, ac Galeni, aliorumque medicorum doctrina, nec non ex ſequentibus formulis quiſque Neotericus medicus extricare nouerit.

FORMVLÆ QVÆDAM TESTIMONIORVM.

Adſit mihi Spiritus ſancti virtus.

IAmpridem Dominus H. F. pharmacopola ex adnata in ceruice veſicæ caruncula, laborat quadam vrinæ ſuppreſſione, ac difficultate, cui affectioni cum opportuna auxilia non ſint adhibita, in dies ſingulos augumentum ſuſcipit, ita vt

vrinæ retentionem, cuius ratione paruo cum negocio ęgri interitus ſubſequi poteſt: Quapropter opus eſt, vt quamprimum carnificem hunc morbũ expellere, & profligare ipſe ſtudeat, quod tamen cũ in carcere ſit coniectus, ac detentus, præſtare (vt opinor) minimè poteſt; & hæc quoniam vera ſunt, requiſitus, ſcriptis tradidi, & iudicio peritiorum medicorum ſubiiciẽda eſſe volui. Imolę die Martis.

Ita ſentio ego Baptiſta Codronchius Medicus Imolen.

Adiuuet me Deus.

MVlieres in violenta, & immatura fœtus emiſſione magis periclitari, & maiora incõmoda, ac mala ſubire, quàm in recto, ac naturali partu, Hippocrates, & experiẽtia nos docuere, & proptere a de abortientibus maiorem, quàm de parturientibus ſuſcipiẽdam eſſe cuſtodiam; cum autem D. M. quã ego in carceribus viſitaui, quindecim ab hinc diebus, vt mihi retulit, trimeſtrem fœtum excreuerit, & propterea improſperè, ac immodicè purgetur, quibuſdam vterinis cruciatibus per interualla angatur, nigræ quædam maculæ in vniuerſa cute exierint, & poſtea delituerint, & nonnunquam nõ leuiter febre laborare, ipſa fateatur, manifeſtum eſt, quod ſi in cuſtodia detineatur, rectam & conuenientem non poſſe horum ſymptomatum ſuſcipere curationem, & diſcrimen impendere, ne in deteriores incidat, quæ cum ex arte veritati innitantur, requiſitus.

lib. de ſuperfœt. & lib. 1. de morb. mul.

ſcriptis

ſcriptis tradidi, ac ſubſcripſi, iudicioque peritiorum ſubiicienda eſſe volui. Imolæ die, &c.

Ego Baptiſta Codronch.

Spiritus ſancti gratia illuminet ſenſus, & corda noſtra.

DVodecima dies eſt, ex qua Illuſtris D. Eques B.F. cœpit laborare febre peſtilẽti, ſub forma, ac typo duplicis tertianæ, cui etſi opportuna fuerint adhibita remedia, nihilominus ob ſæuitiem morbi, ita omni ſpe recuperandæ priſtinæ valetudinis deſtitutus eſt, vt breui ipſum interiturum eſſe exiſtimem; Cum autem Illuſtris D.I. ægroti frater Imolam petierit, vt fratri pro amore quo ipſum proſequitur, in rebus cum ſpiritualibus, tum tẽporaneis opem ferret, ex aëris, ac ſolis excellenti calore, nec nõ ex equitatione, in oculorum inflãmationem, ophthalmiam dictam, in quandamque totius ſpontaneam laſſitudinem incidit, ita vt niſi ab omni labore, itinere, atq; praua victus rationé prorſus ſe abſtineat, dubitandũ ſit, & cum ratione, ne & ipſe aliquo graui morbo corripiatur. Hæc quoniam, &c.

Ego Baptiſta Codronch.

Deo Optimo Maximo fauente.

CVm multis abhinc mẽſibus Dominus G.O.

dantur, & cõtinuo in cubili eſſe cogatur, nec aliqua ratione domo exire valeat. Quæ quoniã, &c.

Ego B. Codronch.

Adſit mihi virtus Spiritus ſancti.

CVm his diebus fuerim accerſitus ad curationẽ D[illegible] C.B. qui laborabat febre, dolore [illegible] capitis, atq; catharro, quas affectiones, vt pro virili profligarẽ medicamento lenienti aluo lenita, ſanguinem è vena interna dextri cubiti extrahere iuſſi [illegible] humorum præparationi, ſymptomatumq; remiſſioni, quæ quãuis aliq[illegible] ex parte ablata ſint, & ad declinationẽ tendant, cum tamen non ſint ex toto profligata, nec humores ad[illegible] parati, vt pharmaco poſſint educi, opus eſt [illegible] in curatione progrediar, & ęgrotus ipſe in quiete domi, & in recta victus ratione perſeueret, ali[illegible] q[illegible] de vita periclitari poſſet. Hæc quoniam vera, &c.

Ita ſentio Ego B. Codronch. &c.

Benedictus Deus.

REquiſiti à Reuerẽdiſs. D. Antiſtite, nũ iudicaremus Reuerendiſſi[illegible] dominationẽ ſuã poſſe munia Epiſcopalis officii proſequi abſque manifeſto ſuæ ſalutis periculo, & pro conſcientia ſentẽtiam noſtram dicęremus, volentes petitioni ſuæ (vt debemus) ſatisfacere, multis prius animaduerſis, nempe diſpoſitione pręſenti mẽbrorum principaliũ, ac ætate illius, nec non ante[illegible] affectionibus, quibus per aliquot annos præfuimus in cura, & nũc exiſtentibus, aſſerimus quod

ſtante

ſtante mala intemperie dictarum partium ætate iam 63. anni, & quod frequentibus, ac grauibus ægritudinibus detineri ſolitus ſit, ob aſſiduã animarum ſolicitudinẽ, quodq; in præſens patiatur, vt etiam multis ab hinc annis, paſſionem hypocondriacam nunc in ipſo cõfirmatam, & vertiginem, quę per interualla ipſum inuadit, & cõtinua deſtillatione à capite detineatur, aſſerimus inquã Reuerendiſſimam dominationẽ ſuam, non ſolũ nouos & maiores, ſed & cõſuetos epiſcopales ſubeundo labores non poſſe abſq; euidenti diſcrimine vitæ ſuæ munus epiſcopatus exercere, & hæc pro veris medica aſſertione nos ſubſignati affirmamus, Deum ſolũ, ac veritatem præ oculis habentes, ſaluo nihilominus ſaniori iudicio. Im. &c.

Ita ſentio ego H S. &c.

Ita quoq; ego B. C. &c.

Deus illuminatio mea, & ſalus mea.

SI magnæ, ac repentinæ mutationes, pręſertim aëris in quo verſamur, ſanitatis amittendæ omnibus periculum afferũt, vt cũ Hipp. & Galeno experientia docet, ſi continua longaq; equitatio vniuerſum corpus laborioſè concutiat, dolores excitat, caput vehemẽter offendit, aliaq; mala facere poteſt, cũ Reuerendiſs. Pater A. C. cœnobita dominicanus iure hęreditario cor, & ventricu- *li. 6. epid. com. 3. tex. 27.*

toriis,&ex hoc noſtro ſalubri aëre,ſtatim ad germanicum rigidum,ac aſperum tranſitum faceret, inibiq; commorari cogeretur,ipſum facillimè ægrotaturũ eſſe, diſcrimenq; vitæ manifeſtũ ſubire,nec in regione illa priſtina ſanitate frui,cõſuetaq, munera obire poſſe cenſeo, & quoniam requiſitus fui, vt pro conſcientia ſententiam meam dicerem, hæc libenter ſcriptis tradidi,& pro maiori robore ſigillum meum appoſui.Imolæ,&c.

Ego B. Codronch. Medicorum ac Philoſophorum Imolenſium minimus.

Benedictus Deus, &c.

MVlieres in violenta, ac immatura fœtus emiſſione magis periclitari,& maiora incõmoda, ac mala ſubire; quàm in recto, ac naturali partu, Hipp.& experientia nos docuere, & propterea de abortientibus maiorem,quàm de parturientibus ſuſcipiendã eſſe cuſtodiam; cũ autem D. Dominica H.quam ego in carceribus vidi, quindecim ab hinc diebus(vt mihi retulit)trimeſtrem fœtũ excreuerit,improſper, ac immodice purgetur, quibuſdam vterinis cruciatibus per interualla angatur, nigræ quædã maculæ in vniuerſa cute exierint,& poſtea delituerint & nonnunquã nõ leuiter febre corripiatur.manifeſtũ eſt,quod ſi in cuſtodia detineatur, rectã & conuenientẽ minimè poſſe horũ ſymptomatũ ſuſcipere curationẽ, & diſcrimen impendere, ne in deteriora incidat. Quę cum arte veritati innitantur,requiſitus ſcriptis tradidi,ac ſubſcripſi.Imolæ Die,&c.

lib. de ſuperfœtat. & lib. 1. de mor. mul.

Ita ego ſentio B. Codronch.

Deus

Deus illuminatio mea, &c.

SVperioribus proximis mēſibus viſitaui I. de S. vnā ex puellis exorbatis in lectulo ægrotantē, quā aliæ Virgines morbo comitiali laborare exiſtimabant, motibus enim quibuſdā conuulſiuis, & præſertim brachiorū per interualla corripiebatur; quoniā vero deerant notæ, quæ morbum ſacrū ab antiquioribus vocatū, perpetuo cōcomitari cōſueuerunt, arbitratus ſum non leuibus argumentis, ipſam vterina prçfocatione moleſtari, ratione ſeminis putredine correpti, quæ affectio multis per me adhibitis remediis, tunc deſiit. An verò huiuſmodi malū ortum ducat à ſolis cauſſis prçter naturā vocatis (audio enim puellā nūc ſatis frequenter ab eiſdē ſymptomatib⁹ torqueri) vel à cauſſis vi dæmonū excitatis, aut illatis mediāte aliquo veneficio, tunc nō obſeruaui, nullumq; de eo morbo periculum feci, vt ipſam virginem ſuaptè natura ad huiuſmodi malum ſatis pronam, cognouerim. & hæc quoniam vera ſunt, &c.

Ita ego ſentio B. Codronch.

Spiritus ſancti gratia, &c.

CIrcà initium octobris præteriti ad curā P. C. vocatus, cū valida è capite deſtillatione vna cum frequenti expuitione, nec non moroſa tuſſi, raucedine, & febricula quadā moleſtari reperio.

tioni, & optimis auxiliis ipſum ſubiiciendum eſſe iudicaui, ex quo vniuerſali totius corporis purgatione, cum per medicamenta, tum per ſanguinis miſſionē à venis ſedis, nec non particulari affecti capitis peracta, ad vlcus in brachio excitādum, & diu ſeruandū, nec nō ad potum ſarzæ periliæcum rebus caput affectū, ac ſymptomata reſpiciētibus deuenitū eſt, in qua potatione ſeruata tenui & extenuanti victus ratione (vt moris eſt) quā pluribus diebus perſeuerauit. Modo à me quæritur, nū curatus æger equitare, vel aliquod iter agere abſq; vitæ diſcrimine, hūc tēporis poſſit? cui interrogationi ꝑ parte negatiua reſpōdendū eſſe cēſeo, nā cū vires ex morbis anteactis, ex tot adhibitis remediis, nec nō ex tenui iniūcta illi victus ratione imbecilles admodū ſint redditę, cū caput nōdum ex toto ſit exſiccatū, & ad priſtinū robur redactū, ipſum à leui cauſa facilitet lędi, & denuo ægrotare, iudicandū eſt, nec vllo pacto diu á, vel longam equitationē abſq; inſigni ipſius ſanitatis periculo ſuſtinere poſſe, & cum ex potu decoctionis ſarzę porri, & meatus totius corporis ita patefacti ſint, ex præſenti aëris inclemētia debere quāplurimū offendi, dubitandū eſſe minimè arbitror; Attamē ſi lecticæ, vel carpenti copiā haberet, in quorum vno vel altero perbelle clauſo, blādè, & breui itinere vehi poſſet, ipſum aliqua noxa effatu digna affici haud poſſe exiſtimarē. & hæc ſunt, quæ mihi in hac re veritati cōſona videntur, omnia cenſurę doctiorū virorū libēter ſubiiciēs, Imolę, &c.

Ita ſentio ego B. Codronch.

FINIS.